Digitized by Google


5. 9. 43

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A



MENS HUMANA

AD COGITANDUM

PRAESIDIO ARTIS INSTITUTA

SIVE DIALECTICE

SEMINARII ARRETINI

TYRONIBUS ACCOMODATA.



ARRETII

MDCCLXVI.

Typis MICHAELIS BELLOTTI Imp. Epiſc.

PRAESIDUM PERMISSU.

Digitized by Google

Etſi ingeniis magnis praediti quidam dicendi copiam ſive rationem conſequuntur; ars tamen eſt dux certior, quam natura. Aliud eſt enim Poetarum more verba fundere, aliud ea quae dicas ratione & arte diſtinguere. M. T. Cicero Lib. IV. de finibus Cap. 4.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.

JACOBO CAJETANO

INGHIRAMIO

PATRICIO VOLATERRANO

PRAESULI ARRETINO

S. R. I. IN ETRURIA PRINCIPI, CESAE COMITI &c. &c.

FRequens invaluit conſuetudo, ILLUSTRISSIME ac REVERENDISSIME DOMINE, ut qui Viro alicui, vel generis Nobilitate, vel Litterarum gloria & di-

gnitate praeſtanti Opus inſcribere adgrediuntur, quum primum ut illud excipere dignetur efflagitent, tum idem potiſſimum, ut in ſui clientelam tanquam aliquid extra jus ſuum poſitum & ad ſe non pertinens ſuſcipere, illudque ab invidorum furore fortaſſe vindicare non abhorreat. Quum vero mihi diu multumque cogitanti qua nam demum expolita recteque elaborata oratione in hac Nuncupatoria Epiſtola ſpectatiſſimum Maecenatem alloquerer, in animum ſubiit in Te unum ſpectare, Te prae caeteris deligendum curare: haud equidem mihi perinde cunctandum fuit, aut in ancipiti deliberatione ſiſtendum, ut quae Sermonis futura eſſet materia, quaeve alloquu-

tio-

tionis magnitudo exſpiſcarer; in ipſa continuo Operis facie conſpiciendum mihi legendumque ſe ſe obtulit quid Tibi jure meritoque dicendo teſtari deberem. Enimvero, Spectatissime Praesul, non ego is ſum, quemadmodum reliqui plures in omni ſcientiarum genere Scriptores, qui haec Tibi de Philoſophicis Diſciplinis quatuor Volumina offerre ac devovere curaverim, perinde ac ſi alienum a Te aliquid exhiberi cogitaverim, verum id ea duntaxat ratione efficiendum eſſe ſtatui, ut in Tui poteſtatem, quae tota Tua ſunt a me dicata, referrentur.

Ac ſane ſi quae aliorum ductu atque conſilio, ſi quae a nobis aliquorum, qui rectiſſime de re-

bus ſentiunt, meditatione & mentis inſpiratione perficiuntur, atque in vulgus prodire jubentur, eorum inquam extra omnem dubitationis aleam propria nuncupari jure conſueverunt, nec quidquam operae noſtrae iis collatum eſſe abſque injuria (niſi quae in praeliis a gregariis abjectiſque militibus fiunt, ſupremi nimirum penes unum imperii exequutio) nulloque refragante praeſumitur; quocirca mihi video potiori jure magnum aliquid de Te eſſe praedicandum. Etenim a nemine omnium primo, niſi a Te, illud profectum eſſe teſtari vere poſſum; ut nimirum in Epiſcopali hoc Arretino Lyceo, non typis evulgata modo a cunctis optimarum

Ar-

Artium Profeſſoribus explanarentur Opera, iiſque ſolicito ac vigili Studio enucleandis quotquot ibi Praeceptoris munere funguntur inhaererent; verum etiam, ut hanc philoſophicarum rerum ex recentioribus fontibus ſynopſim juventuti Tuae inſtituendae accomodatam praeli opera conſignarem. Quamobrem, niſi Tu mihi ad hoc, qualecumque ſit, praeſtandum hortator, atque praeceptor acceſſiſſes; niſi Tui quoque imperio, ſumptibus, ac munificentia illud ipſum excitatum fuiſſet exequutionique mandatum, quidni ſuſpicari ſerio cuiquam liceret, fore ut, meum, exile caeteroqui ingenium in ingenti inertia & obſcuritate ſepultum verſaretur?

At ne quis forte putet, me leviora ad fidem faciendam, omiſſis poſthabitiſque gravioribus, dicendo perſequi ac conſectari voluiſſe, ea profecto dicam, quae nonniſi ab homine ſtupido & hebeti plane in dubitationem valeant revocari, ſi prius tamen illud ſilentio (ne nimius fortaſſe videar) praeteream; ad Te unum ſcilicet integram hanc lucubrationem, tanquam in Tui poteſtatem neceſſario devolutam, ut primum ad ſpectatiſſimi hujuſce Seminarii commodum atque incrementum, pertinere caepta eſt, debuiſſe referri. In quo ſane amplificando, ſi liberior mihi loquendi concederetur copia, pene incredibile dictu eſt quantopere de Tuis laudibus mea triumpharet oratio.

Quanquam vero plurima ſe ſe objiciant, quae ad propoſitum mihi ſcopum & recenſere & commemorare longum eſſet, ab illo nihilominus temperare & abſtinere nullo pacto debeo, neque ulla, quae probata ſit, ratione poſſum; me Tibi nimirum innumeris pene de cauſis mancipatum ac famulatu devinctum inter legitimos ſervos ad nutum obtemperantes, Tuaeque voluntati omnimode obſequentes fuiſſe adlectum, & recenſitum. Quis autem ambigat, aut quis niſi in antiquitatis ſcientia plane hoſpes ignoret, eam ſervorum olim fuiſſe conditionem, ut quae ipſi ſua, vel induſtria, vel opera, vel alia quapiam ratione comparare poterant, penes

He-

Heri arbitrium, atque in ipſius poteſtate, & dominatione manere? Quae ſane mecum ipſe animo ſerio reputans, ac cum vetuſtis praeſentia conferens, haud certe dubitare ullo pacto potui, quin modo a me Tibi praeſtantiſſimo Domino, ac Supremo Maecenati Meo, quaecunque ingenio parta, quaecunque in lucem edita a me forent, tanquam debita, ac veluti Tibi jure arctiſſimo vindicata, & propria perinde eſſent adjudicanda. Quapropter vere mihi affirmare fas ſit, me in hujuſce Operis nuncupatione Miniſtri duntaxat munere fungi; Te vero Auctoris nomine, & dignitate decorari.

Attamen, ut verum fatear, ILLUSTRISSIME PRAESUL, non pau-

paúca certe ſunt, quae per totum effuſa operis volumen, atque aequa ut ajunt lance librata, minus accepta, nec cùm plauſu communi excipienda, videri fortaſſe, poterunt; quaeque ad Te nulla unquam ratione ſpectare poſſe exiſtimo. Quippe ſcriptoris infirmitas, & impolita dicendi methodus totidem vitiorum habendi ſunt fontes, quin vel minimum de Tui Nominis fama, de ſolida ſapientiae opinione, deque animi Tui praeſtantia, aut celſitudine detrahatur: In ipſa quinimo ſcriptoris inertia, aut in ejus obtuſa forte mentis acie praeclariſſimae Tuae ſplendent virtutes, ac ubique micantia praecellentis, magnanimi, generoſi, & cuncta pervidentis inge-

ge-

genii fulgent inſignia. Quidni ingens pro litteris provehendis amplificandiſque ſtudium, indefeſſa, & vere Paſtoralis ad juventutem in hoc perilluſtri Lyceo accomodatioribus diſciplinis informandam ſollicitudo, ac pene incredibile perpetuum omnibus benefaciendi molimen maxime emineant, omneſque in ſe intuentes in admirationem totos convertant? Tam dilucide haec, aliaque plurima, & pene innumera patère, atque exſultare arbitror, ut nihil Tibi dedecoris, nihil triſtitiae, aut angoris allatura ſit Auctoris, aut infirmitas aliqua, aut imperitia.

Illud vero, quo refici ac recreari admodum ſentio, in tutiſſima Tui clientela ſitum eſſe af-

ſirmare jure poſſum; cujus equidem praeſidio, umbra, atque ornamento nullatenus vereri audeo, neminem, ſive veritatis detegendae ſtudio, ſive invidae & acerbae naturae ſtimulis compulſum aut provocatum fore ut, vel litteraria, & liberali homine digna virga, obſequentis in Te animi ergo, uti velit; vel lividum exacuere dentem, quo Auctoris ſcripta rabidis, venenatiſque morſibus proſcindere atque inficere adgrediatur. Ego dubio procul a cogitatione mea depellere nulla ratione poſſum, futuros eſſe nonnullos tanta animi correptos aegritudine tantaque invidia percitos; (neque temere dicam) ut niſi Dignitatis Tuae ſplendore ipſos abſter-

reri contingeret, non graviora, ac ſolidiora ſolum invertere, interturbare, ac miſcere, tametſi cum ingenti Eruditorum vituperatione, conarentur, verum etiam minima quaeque carpere; grammaticales nimirum exerere leges, interpunctiones notare, totamque orthographiam perſequi (ne ipſa etiam librariorum errata dicam) ſolicito, ac inſolenti ſtudio laborarent. Ego itaque Tuae auctoritati & protectioni innixus, ac firmiſſime confiſus in tantam erigor ſpem, fore ut, non Eruditiſſimi viri ſolum, qui hac ſuper re legitime definire poſſent, obſequenti ſilentio delinientur; verum & ipſi infenſiſſimi hoſtes, qui temere, & inconſulta ratione judicare

ſo,

ſolent, cum ingenti eorum cruciatu conſumpti proſternantur.

Quid mihi ergo reliquum eſt, ILLUSTRISSIME DOMINE, niſi ut quantum mea patitur exiguitas ampliſſimas Tibi gratias rependam, quod nimirum illud, quod Tuum eſt plane totum, e meis manibus eximia humanitate, atque inſigni beneficio excipere non fueris dedignatus? Ego autem ingenue fateor, nihilo me Tibi propterea eſſe, quam antea fueram, devinctiorem. Cui enim omnia debeo, quid ei jam debere amplius poſſim? Quare, ne illud quidem mihi curandum puto, ut Tibi exquiſito aliquo orationis genere gratias agam. Iſta faciant, qui ſe accepta beneficia verbis

exae-

exaequare poſſe confidunt. Mihi jampridem adempta, ac praeciſa ſpes omnis eſt quidquam excogitandi, quod Tuis erga me innumerabilibus meritis ulla ex parte reſpondeat. Quod equidem ita eſſe, dum mecum ipſe cogitans ſentio, ne Tibi, quam par ſit moleſtior ſupervacaneis verbis videri poſſim, ex animo me profiteri delector.

Illuſtriſſimae ac Reverendiſſimae
Dominationis Tuae.

Humillimus ac Devinctiſſimus Famulus
F. F. M. A. S. T.
C. E.

STUDIOSIS
SEMINARII ARRETINI
RECENTIORIS PHILOSOPHIAE
CANDIDATIS.

AUCTOR
SOSPITATEM ET LITTERIS AMOREM.

PLerique eorum, Juvenes Optimi, qui de Philoſophicis Diſciplinis verba faciunt, earum praeſtantiam ſaepe laudare, atque originem cumprimis ad noſtra uſque tempora perducere conſueverunt. Quorum ego neque conſilium reprehendo, neque tamen omnia in eo poſita eſſe cenſeo. Nam, ut

ſi quis bonae valetudinis commoda exponat, eaque dicendo amplificet atque exaggeret, & ad eam omni ſtudio conſervandam homines cohortetur; neque tamen admoneat quo genere victus, quibuſve exercitationibus ea maxime comparari ac contineri debeat, non valde utilis illius videri poſſit oratio; ita parum prodeſſe arbitror, aut philoſophiam ſupervacaneo labore commendare (quam certe nemo eo uſque perfrictae frontis eſt, ut vituperare audeat; nemo autem ſtupidus vel litterarum expers, qui in praetio non habeat); aut ad eam cohortari illos, quos ejuſmodi ſtudiis deditos eſſe con-ſt, aut ejuſdem poſtremo antiquitatem a ...motiſſimis petere temporibus; niſi indicetur etiam via, qua quis ad ſapientiae poſſeſſionem facillime ac tutiſſime pertingere poſſe videatur. Atque ego rem ſane attigiſſe ſum ratus, ut primum mihi ab eo, qui jure praecipere poterat publice docendi munus demandatum eſt: Etenim ad vos in-
ſtituendos adcedere, neque ut Orator, qui nonniſi rerum a ſe dicendarum admirationem excitare cupit, neque ut Peripateticus

homo Arabum Philoſophorum ſectator, qui tricis ſuis, atque inutilibus plane ſubtilitatibus intentus, tempus fruſtra conterere conſuevit; verum noviſſimarum litterarum cupidiſſimus ad vos pervenire decrevi. Quod equidem recentioris philoſophiae vobis tradendae deſiderium jamdiu conceptum non ſatis recte pro dignitate expleri poſſe exiſtimaveram, niſi in ipſo totius Tractationis limine integram Operis methodum atque conſilium vobis luculenter exponerem. Ego igitur Philoſophicas non laudabo litteras; ſatis eas homines eruditiſſimi ornate copioſeque laudarunt; ne multum tum quidem temporis ponam in his nobiliſſimis adoleſcentibus, qui per ſe ſatis incitati ſe produnt, ad eas cohortandis. Quae itaque univerſa ad vos erudiendos accomodata cenſuero quatuor voluminibus breviter ac perſpicue complecti faciam. Dialecticen breviſſimis praeceptionibus cudendam curabo, atque a tam perutili ſcientiarum omnium praeſidio quaecunque vel ſupervacanea prorſus, vel fuſiori, quam par fuerat, ſtylo ſcriptis prodita legebamus reiicienda eſſe cona-

nabor. Metaphyſicam vero, quam ſecundo complectar volumine, ita propter ſui dignitatem & amplitudinem intra anguſtos aeque brevitatis fines cohiberi non negligam, ut tamen, quemadmodum a praeſtantiſſimis hac de re Scriptoribus accepimus, univerſa, quae apud omnes maximi ſemper momenti ſunt habita, Onthologiam nimirum, Pſicologiam, Pneumathologiam, ac naturalem Theologiam, ſilentio praeteriri non patiar. Quae ſane omnia, ut maxime ad ejuſmodi ſcientiam aſſequendam neceſſaria ſunt; ita etiam propter abſtruſam eorum majeſtatem nonniſi latioris ſermonis ubertate poſſunt perbelle tractari. Reliqua deinde, quae ad totius Phyſiologiae noſtrae complementum pertinent Phyſicam ſcilicet Generalem *nec non illam, quae* particularis, *tum alteram, quae* experimentalis *vulgo nuncupatur, totidem voluminibus exarata publici juris faciam. Hiſce expoſitis dicendum adcedit, me ſapientiorum veſtigiis inhaerentem mathematica non tantum methodo in tradendis diſciplinis uti decreviſſe, verum etiam quamplurima ex ipſa matheſi ad Phyſices prae-*

ſer-

ſertim demonſtrationes conflandas, utpote neceſſaria plane, mutuari identidem voluiſſe, ut in omnibus perſpicuas nec non apodicticas in addiſcendo rationes in promptu haberetis. Atque ejuſmodi illa equidem ſunt, quae generatim de hujuſce operis ordine, ac methodo a nobis levi calamo fas erat afferri.

At ne quis fortaſſe veſtrum ita haec commendare non dubitet ut tamen typis a me evulgatum modo univerſae Philoſophiae curſum perpetuo improbare non deſiſtat; quod nimirum noſtra hac tempeſtate quiſquis hac de re è praelo aliquid prodire faciat, perinde conetur, ac ſi Oceano aquarum copia latiſſime patenti rivulos congerat, aut ſi meridianae luci languentis peneque emortuae candelae ſplendorem velit conciliare. Plurimi equidem exiſtunt (ita hoſce mihi videor auſcultare), praeclariſſimi de re philoſophica Scriptores; nec veteres modo, verum etiam recentiſſimi, qui juxta propoſitam a me ſcribendi rationem luculenta expolitioris litteraturae cunctis monimenta diu noctuque conſulenda ſectandaque

que reliquerunt, è quibus profecto ſi meliora huc illacque ingenioſe decerpamus, aut ſi ex his uni cuipiam probatiſſimo noſmetipſos potiſſimum addicamus, qui ſentiendi diſſentiendique auctor futurus ſit; quo duce ad philoſophiae poſſeſſionem pertingamus, cujus denique inventis ac lucubrationibus opiniones conformemus noſtras, quidni (ego quoque fateor libentiſſime) confidere merito debeamus, fore ut ad optimum philoſophandi gradum tandem aliquando perveniamus? Quidni conſultius ita nos feciſſe erit exiſtimandum, quin novum hujuſce facultatis curſum praeli opera excitare fuiſſemus aggreſſi? Verum antequam hujus opinionis vim minuamus, quae ſua ſpecie tenus non admodum a veritate abſona fortaſſe videri poſſet, operae praetium puto, ſi nonnulla prae oculis, ſemoto quopiam partium ſtudio, expendenda ſtatuamus, quae dicendis viam facile ſternant.

Principio itaque demonſtrandum adgredior longe utilius futurum, longe etiam tutius, ſi juventuti in Lyceis cultioribus diſciplinis erudiendae praeclariſſimorum hominum

num

num ſcripta typis evulgata & probata potius, quam praeceptoris manu duntaxat exarata, & ad ſcribendum illi exhibita praeparentur. Atque ut è veſtigio dictis fidem faciam; neminem eſſe reor, qui fateri non cogatur, multum ſaepe temporis in ſcribendo ab adoleſcentibus conteri ſolere, ac fruſtra plane diſperdi; multum perinde laboris inſumi, ſaepe etiam ſtudiorum quae primo alacriter fuerant auſpicati, propter moleſtam id genus ſcriptionem illos deinde taedere. Quis praeterea eorum eſt, qui litteris incumbens experimento ipſo non ſentiat quam aſpera, & inſuavia, diu noctuque ſibi ferre opus ſit, ut ad captu difficillima multa aſſequenda ſtudii praeſidio perducatur? Qui ſane labores, niſi voluptatis illicio aliquo identidem condiantur, mirum prorſus videri debet, ſi quempiam eorum honeſtate, aut utilitate permoveri aliquando contingat. Illud item accedit plerumque, ut qui a Praeceptoris dictantis voce pendere in addiſcendo ſcribendoque conſueverunt, ipſi poſtmodum propter rudem informemque ſcripturae rationem, quae ſuamet cuderunt ma-

 nu,

nu, aut aegre admodum lectitare ſoleant, aut ſi etiam velint, ab iis nonniſi difficulter ita percipi valeant, ut eadem ſtudiorum incremento vehementer incommodent: Quodnam denique commodum in iis comminiſci poſſumus ſcripto traditis inſtitutionibus, ubi potiora ſaepe deſideres; ſermonis nimirum leporem atque elegantiam, tum rerum tractandarum ordinem; ubi difficillimis obſcuriſque diſputationibus non raro, quae parum perſpicua ſunt adhibentur, ac illud quod in elucubrandis operibus potiſſimum quaeritur, optimus ſcilicet critices uſus negligitur ſaepenumero? Parum profecto id genus docendi rationem prodeſſe, ac ita rem ſe habere cuipiam vel leviter cogitanti videri debet.

At vero qui in erudienda juventute ita ſolertes ſunt, accurati, atque uberrimae utilitatis cupidi ſectatores, ut accomodatum, & proficuum opus aliquod ex tot optimis aut explicandum ſecernant, aut, ſi forte minime adſit, ex propria meditatione & opera illud a ſe conflari opportune ſatagant, eos equidem (niſi ego inconſulto judicandi

im-

impetu abripi patiar) ſingulari ab omnibus plauſu, & commendatione dignos plane habendos eſſe autumo : Hoſce enim intueri mihi videor ea ſollicite parare juvenibus commoda, quorum ope ſtudiorum ſuorum curſum numeris abſolutum omnibus fauſtò perficiant. Quare auctoribus typo editis ad diſciplinas tradendas utentes; atque cùm illos explanandos quotidie, ut ipſi manu verſant, ſic ut ab auditoribus ſaepe repetita eorumdem lectione terantur efficiunt; ſcribendi cumprimis taedium eliminant, ac deinde quo tempore inter ſcriptiones verſari neceſſe eſſet, vel in amplificandis enucleandiſque a ſe traditis rebus, vel in aliis diſciplinis tradendis fructuoſius ſane immorari poſſunt, ac diſtineri. Quidni etiam in ſelecto aliquo ex praeſtantioribus ſcriptore ſcribendi dignitas, & ſtyli ſuavitas animadverti, ac ſenſim ſine ſenſu comparari legendo poteſt? Forte ne typographicae editionis pulchritudine nitidaque litterarum impreſſione non ſaepe rapimur; juventus praeſertim, quae vehementius rerum pulcherrimarum titillatione percellitur, ad eaque a-

vi-

vidius properat aſſequenda, quae ſenſus demulceant; aut in quibus externus, prae cunctis manuſcriptis, neſcio quis operum ſplendor effulgeat? Ex quo liquido illud conſequi arbitror, eximiis id genus illiciis ad litterarum amorem, vel invitos etiam quandoque pertrahi poſſe, ac repugnantes: Quid vero de iis, qui illarum flagrant cupiditate affirmare jure fas erit? Quos ſi huic explendae totos quotidie incumbere neceſſe ſit, atque ipſi tum maxime, rerum percipiendarum difficultate, noctes ducere inſomnes, diuturnas vigilias fundere, aliaque id genus perpeti onera compellantur, vel hoc demum levari comperire poſſunt, quod Clariſs. Virorum Opera publici juris facta cum incredibili pene voluptate a Praeceptoribus explicata recipi ab iis ſoleant. Verum haec leviora quodammodo; ſi praeſertim cum gravioribus mox proponendis conferantur. Etenim nemo ſapientum eſt, qui probe non perſpiciat, eas lucubrationes praelo commiſſas, quae prius ingenii tranquillitate & otio, judicii maturitate, ac ſumma idearum perſpicuitate comite ac duce editae

fue-

fuere, amplioris longe fructus, ac ſtudioſis juvenibus incrementi futuras eſſe, quam ſi praecipiti, nec bene conſulto ſtudio ſcriptis conſignentur. Quae namque communem aſpectura ſunt lucem, quae ſub innumeris pene oculis ſtatui legitime debent, quae cenſoriam doctorum indoctorumque virgam nequeunt effugere; inſpecto praecipue earum intimo pretio, ac merito; accuratius lucubrata, criticis animadverſionibus, atque optimi cujuslibet delectu ornatius ditata jure praeſumuntur: In iis ubique expolitus nec non perpetuus Critices, juxta receptos canones, viget uſus, qui tanquam clariſſima lux quaquaverſum effundi cernitur; in iis ſedulam ſcriptores ſui navant operam, ut quae per ſe ad intelligendum operoſiora accurrunt, vel hebetiorum captui facili nitidaque oratione accomodentur; in iis denique argumentatio vehementior triumphat, ac verborum, in quibus nulla ſubjecta ſententia eſt, inanis redundantia reiicitur. Ex quibus levi calamo ac ſummatim ſermocinando propoſitis ſatis patère arbitror, quantum ſcriptis edita opera longe majori eorum utilitate debeant anteferri.

Quantum vero ea ſint caeteris praehabenda, ſi ad tutiorem eorumdem in docendo uſum animum advertamus, pluribus equidem hic demonſtrationis ergo opus eſſet immorari, niſi eo unde digreſſa eſt oratio noſtra quam cito remeare fas eſſet. Illud nihilominus praetereundum non eſſe exiſtimo, ex omnium ſapientum effato atque ipſomet omnium hominum intimo ſenſu petitum; ea nimirum optima eſſe nuncupanda, quae publico privatoque judicio & exiſtimatione probata, ipſaque temporis diuturnitate perpetuo celebrata fuiſſe mira conſenſione non ignoremus; a quibus perinde quotquot ejuſdem facultatis, ſive artis extiterunt ſolertiſſimi profeſſores, tanquam ab egregiis exemplaribus hauſiſſe didicimus. Tutius uno verbo inter ea quae humanae fidei ſubduntur nihil certo excogitari, aut expeti licet, quam illos religioſe ſuſpicere, ac conſectari Auctores, qui ut de rebus ſcite a ſe typo conſignatis acute admodum diſputarunt, ornate ac diſtincte totum opus ſunt perſequuti; ita in aliorum teſtimoniis, ſive allegandis ſive interpretandis

a ſi-

a fide, a veritate, vel minimum non aberraſſe, neque ab eorum germano ſenſu, nonnihil mutilantes aut interpolantes, neutiquam detorſiſſe, non immerito ſint habendi. Quae cum in praecocibus celeriterque a Praeceptore confectis diſputationibus, ac pridie plerumque, quam auditoribus ſcriptu exhibeantur, paratis, deſiderari perſaepe comperiantur; aut ſi qua ſunt, ipſa tamen oſcitanter, & inconſultò cuſa facile coniiciantur, inde colligi jure poteſt, univerſas id genus lucubrationes egregiis illis, quae legitimis eruditorum hominum ritibus, & canonibus ſunt quum exaratae, & digeſtae, tum praeli immortalitati conſecratae, dubio procul utilius atque ſecurius fore poſthabendas. Ac re equidem vera mihi diu multumque hac de cauſa cogitanti non injucunda, & adamuſſim conſentiens comparatio perſaepe occurrit, qua in percurrendis omnium honeſtarum diſciplinarum ſemitis eos, qui impreſſis utuntur ad juventutem informandam voluminibus patentia, amoena, atque exornata loca ambulantibus mihi videor ſimillimos vere dici poſſe; quos vero bar-

bara

bara ſcribendi methodo uti novimus, cum iis, qui aſperum, devium, vepribuſque conſitum iter inſtituere, aut abſolvere aliquando coguntur, perbelle poſſe conferri arbitrabar.

Majora praeterea & ampliora afferri poſſent fidei hac ſuper re faciendae maximopere idonea, niſi ad luculentiorem demonſtrationem commode conſulere fas eſſet Diſſertationem, quam nupera lucubratione edidit Vir Clariſs. Eccleſiaſticus, a cujus ego commemorando nomine obſervantiae ergo parcere ſtatui; quemadmodum Eruditiſſimus etiam noſter Joannes Lamius ita effeciſſe videri poteſt.

Tantis igitur aliiſque permultis a me brevitatis ergo neglectis rationum exemplorumque momentis, nihil plane mirum videri debet, ſi praeſtantiſſimus omnique commendatione major Praeſul noſter, pro ea qua pollebat mentis amplitudine, perſpicacia, ac in litteris provehendis ſollicitudine eximia, ut citius gloriae virtutiſque apicem perfecta ſtudiorum methodo aſſequeremini, pro ſtabilienda in hoc perilluſtri Lyceo libro-

brorum legendorum conſuetudine ſe, non rationibus luculentiſſimis tantum cieri ſemel iterumque teſtatus eſt, ſed mihi etiam ad id praeſtandum caeteroqui comparato & incenſo ſaepe ſaepius hortator adceſſit. Quamobrem ſatis exploratum compertumque exinde quantum arbitror, vobis juvenes ſolertiſſimi eſſe poterit, non recte expedire, neque admodum fore utile atque exoptandum, ſi ut nonnullis fortaſſe adhuc perſuaſum alta mente inſidebat, ex huc illacque decerptis affabreque diſpoſitis Clariſs. Virorum fragmentis, atque ex noſtra etiam meditatione, & inventis integer Philoſophiae curſus dietim ſcribendus auditoribus traderetur.

Hoc unum itaque reſtabat, ut nobis Philoſophiae doctrinam auſpicantibus conſtitutus aliquis eſſet auctor, cujus ductu, ac eruditione viam, qua ſapientiam aſſequeremini vobis explanando demonſtrarem: Auctor equidem, cui cum ſermonis dignitate & pulchritudine, nec judicii acies, nec perſpicuitas, nec perpetua rerum inutilium mutilatio, nec argumentandi robur, neque demum

mum accurata in toto perſequendo opere fides conjuncta deeſſent. Auctor uno effato, ita paucorum annorum curriculo obeundo conſentaneus, ut neque praeſtitutum juventuti temporis ſpatium voluminum, rerumque diſcendarum magnitudine, atque copia tranſiliret, neque nimium jejunus aut perutilium plane expers videri poſſet. At quis hic demum eſſet futurus, quem prae caeteris deligeremus, cui nos totos committere deberemus, quem praeſertim brevi duorum annorum ambitu, plus minuſve, proficue abſolveremus? Ardua profecto inquiſitio, neque facile inter tot tantoſque ſpectatiſſimos caeteroqui Scriptores aſſequenda! Cogitantibus itaque nobis, quanam ratione tandem aliquando hujuſce Seminarii incremento conſuleremus; nulla aptior deliberandi ratio viſa eſt, quam ſi cum praeſtantiorum ſcriptorum ductu, tum lucubrationum noſtrarum opera abſoluta quantum fieri potuit univerſae Philoſophiae, quaedam velut Synopſis publico ſtudiorum, Seminarii autem Arretini hujuſce cum primis commodo adornata ederetur; in qua nihil ex omnibus, quae in

ejuſmodi diſciplina pertractari ſolent, eſſet expetendum; quod item biennii ſpatio conſici facile poſſet. Quantum ſolertia & ſtudio profecerimus noſtro, quantum deinde utilitatis ſimus allaturi, aliorum, ſapientum praecipue, eſto judicium. Illud tantum affirmandum jure mihi videor poſſe uſurpare: me nimirum nulli, aut ſtudio, aut indefeſſo etiam labori defuiſſe unquam, ut vobis profutura omnia exhiberentur: ſi fortaſſe nonnulla vel minus expenſa, minuſve perfecta peritioribus in hac arte viris legitime videri quoquomodo poſſint, non vereor profecto, quin mihi, ut homini, ipſi veniam ſint conceſſuri.

Igitur ex tot hactenus recitatis ſatis ſuperque patère exiſtimo, nobis tantopere neceſſariam docendi ſtudendique methodum caſſo penitus conatu juventuti litteris informandae Lyceo huic commiſſae, ac perperam plane fuiſſe conſultum, niſi congruens pro ſtudiorum ſuorum ratione, atque illi praeſertim uni accomodatus hic philoſophicus labor adornaretur.

Sed tempus eſt, ut de iis, quae prio-

vi hocce Volumine volui comprehenſa; de Dialectica nimirum, hiſtorice rem perſequendo, paucis agamus. Ita vero de hac arte me verba facturum ſpondeo, ut aeque reliquis tribus praefari non inconcinne poſſe, coaptariquo cernantur.

Logices ergo ſtudium, ut de ejus origine, incremento, atque viciſſitudine nonnihil breviter tradam, ipſius mundi primordiis coaevum pene fuiſſe non dubito; ſive ut minus incertum repetamus exordium ab illorum populorum tempore, qui poſt factam linguarum confuſionem in varias orbis regiones vagari coeperunt, puto eſſe deſumendum. Etenim loquendi, atque ut caeteris perſuaderent, arguendi in unoquoque neceſſitas, illud equidem in cauſa fuit, ut qui prius impolita, & agreſti methodo ad exerendas animi cogitationes utebantur, a praeſtantioribus deinde ingeniis emendarentur; atque ut caeterae artes, & diſciplinae paulatim a rudiori earum inventione in meliorem gradum ſucceſſiva hominum induſtria aſcendiſſe feruntur; ſic logicae perinde eveniſſe non inconſulto arbitremur.

Ope-

Digitized by Google

Operoſum vero eſſet, ne impoſſibile factu dicam hujuſce artis incrementa penes antiquos Aſiaticos, Aegyptios, alioſque Orientales populos percenſere ſingillatim, cum, quod ſcriptorum minutiora hac de re monumenta nobis deeſſe comperiamus, tum quod non ſatis conſentaneam, pro brevitate propoſita, ad hoc Proemium enarrationem eſſemus allaturi. Praetereundum vero non eſt Dialecticem proportionali ratione, juxta caeterarum artium amplitudinem perfectionemque, inſpecta ſui indole, progredi neceſſario conſueviſſe. Quae namque univerſarum Clavis vulgo, nec immerito, appellatur; neceſſe perinde eſt, ut aequo cum reliquis dignitatis culmine collocetur. Quapropter illud optime mihi videor poſſe uſurpare huic arti accomodandum quod a Celſo (a) *acute admodum de medicina dictum fuiſſe legimus, atque inita levi calamo vetuſtiſſimarum Gentium ad nos uſque enarratione earum Phyſiologiam in aſpectum, lucemque proferre,*

 ut

(a) *Morborum Curatio, & rerum naturae contemplatio, ſub iiſdem auctoribus natae ſint.* Lib. I. in Praefat.

ut quantum in omnigena ſcientiarum dignitate praeſtaſſe videbuntur, tantum in optimo Logices uſu peritiſſimae fuiſſe jure arguantur.

Atque, ut primò de Aſiaticis nec non de Aegyptiis, quae ſcriptis ſunt prodita pauca dicam; eos Botanicam omnium primos coluiſſe teſtatur diſertiſſime Plinius (a), *aliique omni exceptione majores; Arithmeticam vero ab ipſis; deinde a Phoenicibus ortum duxiſſe ex Platone* (b), *Diogene Laertio* (c), *atque ex Jamblico* (d) *edocemur. Qui vero Aſtronomiae fama celeberrimi apud veteres fuere, maxime Chaldaei laudari debent: Gens equidem in litteris comparandis ſtrenua, atque in tota qua late patet Aſia, ut loquitur Tullius* (e), antiquiſſimum Doctorum genus. *Huic Aſtrorum*

(a) Lib 25. *in init.* lib. 26. Sect. 6.
Plutarchus Tom. 2. pag. 646. 647.
Scholiaſtes Homeri in Iliad. lib. 11. v. 845.
Servius ad Aeneid. lib. 12. v. 396.
D. Iſidorus Orig. lib. 4. Cap. 9. *in init.*
(b) *In Phaedr.* pag. 1240.
(c) *In Proem Segm.* 11. pag. 8.
(d) *De vita Pytag.* Cap. 29. pag. 135.
(e) Lib. 1. *de Divinat.*

rum ſtudio (quemadmodum Arabes etiam, atque Aſſyrii) facili via dies noctesque inhaerere idcirco potuerunt, quod propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, quum coelum ex omni parte patens, & apertum intuerentur, trajectiones motuſque ſtellarum pervium illis ſemper fuerat contemplari.

Neque vero putandum eſt, eos tantum, quos modo laudavi Orientales populos in ſyderum obſervatione claruiſſe, quin Aegyptii quoque excelluerint: Imo ſi Clementi Alexandrino (a)*, ſi Joſepho Flavio* (b)*, ſi Macrobio* (c)*, nec non Luciano* (d) *fidem praebeamus, illos Chaldaeis fuiſſe longe praeſtantiores affirmant; quod ipſi ex magna ſtellarum peritia totius anni curriculum per menſes diſtributum ad perfectam formam omnium primi inſtauraverint.*

Reliqua vero plura, quae Orientalium nationum Phyſiologiam ſpectant de Mundi nimirum origine, de rerum corporearum natura,

(a) *Stromat.* lib. 1. pag. 361.
(b) *Antiquit. Iudaic.* lib. 1. Cap. 3.
(c) *Saturnal.* lib. 1. Cap. 12. pag. 242.
(d) *De Aſtrolog.* pag. 362.

tura, aliiſque permultis ex phyſica ſiſtematibus, ſi qui uberius optarent ediſcere, eruditiſſimam viri eximii Antonii Genuenſis Diſputationem Phyſico-hiſtoricam conſulant, ubi quodnam fuerit olim Chaldaeorum, Aegyptiorum, Perſarum, Indorum, Sinenſium, Phoenicum, atque Thracum in philoſophicis rebus ſtudium, quaeve inter hoſce obtinuerint opiniones, luculenter apparet.

Sed tempus eſt, ut ad haeroica litterarum ſaecula orationem convertamus; cum videlicet poſtquam philoſophandi libertas jamdiu apud omnes populos invaluerat, Phyſici apertius de naturae phoenomenis diſſerebant. Graeci cum primis, quemadmodum veteribus hiſtoriae philoſophicae monumentis eſt proditum, celebres ac praecipuas tres philoſophorum ſectas inſtituiſſe perhibentur; Jonicam *ſcilicet*, Italicam, *atque* Eleaticam: *Quarum profecto quinam fuerint ſtudioſiſſimi conditores, tametſi parum modo diſputare interſit, illud nihilominus nemini veſtrum incompertum eſſe volo, hoſce ſapientiſſimos totius Graeciae viros primos ſyſtematum inventores haudquaquam fore appel-*

lan-

landos; quemadmodum ſuperbum Graecorum vulgus fortaſſe blaterabat. Etenim Plato (a) *diſertis verbis ejuſmodi opinionem apud ſuos late dominantem exſufflare non dubitat, atque totam ferme Graecanicam philoſophandi majeſtatem, ex aſiaticis atque aegyptiis coloniis Graeciam appulſis derivaſſe coniicitur. Ac re ſane perſpecta, niſi Pythagoras (qui Italicae ſectae auctor vulgo audiit, floruitque ſoeculo ante Chriſtum octavo) orientales oras longa quadraginta circiter annorum peregrinatione adiiſſet, tantam dubio procul ſcientiarum amplitudinem, nonniſi tarda temporis diuturnitate Graecia comparaſſet. Nemo equidem hoc philoſopho, aut in rerum perpetua inquiſitione pertinacior, aut in litterariis laboribus magis indefeſſus, aut mente acutior umquam extitit alter. Ex uberrimis ſapientiae ſuae fontibus totam pene Graeciam irrigavit, ex iis potiſſimum, quae matheſim, & methaphyſicam ſpectant. Verum Praeceptorem habuiſſe Pherecidem quemdam Syrum veteres teſtantur hiſtorici nonnulli; ipſumque cum Aegyptios, atque*

 Hae-

(a) *De Republ.* pag. 697.

Haebreos; tum Chaldaeos, ac Perſas litterarum ardore flagrantem accurate conſuluiſſe confirmant; atque demum ut occultiora ſingulorum dogmata, & arcana aſſequeretur omnium ferme, ut Graecorum, ita Barbarorum ſacris initiatum ferunt (a). *Itaque Graeci, etſi priſcis haeroicorum temporum ſaeculis non admodum Matheſis, Aritmeticae, Aſtronomiae, nec non Phyſices cognitionibus excellerent; quum nimirum Phoenices caeterique Orientales ad illorum regiones confugerunt; nihilominus in confeſſo eſt ex veteribus Graeciae ipſius Philoſophis, neminem Pythagora longius latiuſque exquiſitioribus litteris ſuo tempore provexiſſe. Praeclariſſimi hujus viri geſta (quemadmodum de caeteris etiam philoſophis exaratum legimus) ejus inventa omnia, & argumenta copioſe ſimul, perinde ac perſpicue enarrat, atque complectitur celebris Stanlejus; cui opitulantur quoque Jamblicus* (b) *atque Porphirius* (c).

Ex

(a) *Laertius, Porphirius, & Iamblicus.*
(b) *De Vita Pythagorae.* Cap 29. pag. 134. 135.
(c) *In Vita Pythagor.* pag. 8. 9.

Ex Jonica vero nec non Italica ſimul ſecta alia Philoſophorum gymnaſia in Graecia prodierunt. Academica namque, quae a Socrate caepiſſe memoratur, tum Peripatetica, & Stoica Philoſophia Jonicorum, & Italicorum fontibus pene omnis eſt irrigata. Quantum Socratica Academia effloruerit eo tempore, luculenta perſequuntur oratione Plutarcus (a) *atque Laertius* (b). *Ex iſta divinum profectum eſſe Platonem didicimus; cujus ſecta, ejuſque doctrina tam late deinde patuit, ut praeſtantiores ipſi Eccleſiae Patres, propter mirificam cum fidei Dogmatibus affinitatem, illa in ſuis ſcriptis uti perpetuo non dubitarunt. Quid de ideis a Divina Mente ſejunctis ſenſerit Plato, quid de Mundi Anima fuerit opinatus; de illa nimirum, quae rebus omnibus inſit per univerſum undequaque diffuſa; quae ſuapte vi motum rebus omnibus largiatur; non eſt quod pluribus diſputare laborem. Res enim adeo ſunt tenebris involutae earumque judicium inter eruditos anceps eſt adeo, ut multis*

(a) *De placit. Philoſoph.* Cap. 3.
(b) *In Vita Platon.*

tis explicari non debeant, paucis non valeant.

Jam vero de Ariſtotelis in Philoſophicis caſtris merito atque dignitate conſentaneum eſt, ut vel pauca quaedam afferamus; quem primum Graecorum Philoſophorum, Platonis Alumnum novam ſyſtematum inventionem in orbem nemo dubitat invexiſſe. Ipſum male apud nonnullos audire explorata & conſtans fama eſt; quod nimirum de Deo Opt. Max. ejuſque providentia, de finibus bonorum & malorum, de Animi immortalitate, deque praemiis, atque ſuppliciis, quae probros, improbroſque in futura vita manent, impia ac ſtulta plane perſuaſione ſenſerit; quod de mundi aeternitate, de coelis ſolidis atque adamantinis, deque materia, forma, & privatione, aliiſque nugaciſſimis in phyſica praeſertim deliramentis per ſummam inſcitiam diſputaverit. Quid (ſic in hoc Philoſopho vituperare conſueverunt inſenſiſſimi ejus hoſtes), quod in ipſa terra, ne generalia quidem explicuerit; marinos ſcilicet aeſtus, Phoenomena magnetica, Metallorum, &

Mi-

Mineralium vires, & quae ejuſdem ſunt generis plurima? Verum ego equidem, quod ad me attinet, fateor id genus vitia, atque errata Ariſtoteli viro caeteroqui doctiſſimo afficta idcirco fuiſſe, quod ejus ſcripta ob genium hominis, aut natura abſtruſi aut arte, non ſatis intelligantur. Sive ergo vaferrimo ipſe artificio, verbiſque de induſtria ad imponendum compoſitis obſcure viſus ſit enunciaſſe; ſive acutum ejus ingenium voces rerum dicendarum dignitati, ac ſubtilitati non ſatis perſpicue accomodatas nuſquam adinvenerit; illud certe extra omnem dubitationem poſitum eſt, tantam peneque infinitam Peripateticorum catervam tot e Graecis codicibus conflaſſe, & fortaſſe pro libito confixiſſe verſiones, tot deinde male feriatos interpretes protuliſſe, a nono maxime ad uſque decimum quintum Eccleſiae Saeculum, ut perdifficile modo ſit, ne impoſſibile dicam, quae germana Ariſtotelis de re qualibet fuerit ſententia aut inveſtigare, aut definire. Caeterum in rebus naturalibus neminem olim ſatis ſuperque eruditum eſſe potuiſſe, niſi unum adamaſſet Ariſtotelem,

nec

nec in tribus philoſophiae partibus omnino maximopere callentem, vel ex eo conſtare arbitror, quod Euſebio teſte (a) *Ariſtotelica Schola Alexandriae tum etiam vigere cerneretur, cum ibi Doctores Apoſtolici vigerent plurimum; atque Ariſtotelem omnium pene gentium, & multorum ſaeculorum uſu probatum totius orbis Academiae reſonarent.*

Reliquum eſſet tandem, ut de celeberrimis caeteris Graeciae Phyſiologis; Zenone nimirum Stoicorum Principe, Democrito, atque Epicuro Atomiſticae Philoſophiae inventoribus, aliiſque enarrare nonnulla conarer. Verum quis huic tandem futurus eſſet Proemio finis?

Quae autem de Graecorum ſapientiſſimis pretereunda non eſſe autumo, in latiſſimo quodam verſantur diſcrimine, hos inter & vetuſtas Orientis nationes: Etenim illo ampliori, quam dici valeat rerum omnium eruditione atque peritia tametſi praeſtantes commemorari jure poſſe cum laude huc uſque viſi fuerint; iſtas tamen tantum

me-

(a) Lib. 7. *Eccleſ. hiſt.* Cap. 32.

merito, litterarumque antiquitate praecelluiſſe fatendum eſt, ut iiſdem optimarum artium omnium primas attribui neceſſe fuerit: Aſſyrios inquam, Chaldaeos, Phoenices, atque Aegyptios, de quibus Graecorum etiam ſcriptorum monumenta teſtatum nobis reliquerunt (a), *quaecunque occultiora philoſophiae Myſteria ab ipſis detecta eſſe liquet, quaecunque in nobiliorem ipſorum ſtudio gradum delata fuiſſe non ignoramus, nulli alteri nationi accepto eſſe referenda. Quas enim Gentes ab huc illacque iter agendi in exteras regiones conſuetudine perpetuo abhorruiſſe ex Diodoro* (b) *edocemur; neque illas ex peregrinis aliorum populorum coloniis inſtitui atque informari potuiſſe memoratus ſcriptor affirmat; eaſdem ſcientiarum ſuarum inventrices appellare non dubito. Si qua itaque propter litterarum praeſtantiam laude dignae erunt, (quaecunque illa fuerit) quae certe maxima eſt; tota inquam ipſarum erat. At Graeci ex adverſo, ex ſu-*

(a) *Iamblic. de Vita Pythagor.* Cap. 29. pag. 134. *Porphirius de Pythagor.* pag. 8. & 9. *Iulianus apud Cyrill.* lib. 5.
(b) Lib. 5. pag. 376.

ſuperius recitatis Auctoribus, ſi ſupremam ex longo cum remotiſſimis Gentibus commercio rerum omnium ſapientiam litterarumque majeſtatem tandem aliquando attigiſſe viſi ſunt; ſi ab his exinde Romani cum moribus, legibus, ac religionibus cultiſſimam quoque philoſophandi methodum hauſere; utrique profecto ſuperbo animi faſtu gloriari nullo pacto potuerunt, ſe omnium primos artes liberales omnes detexiſſe; ac ſi qua iis commendatio ſupererat tribuenda, in earum rerum, quas ex Aſia & Aegypto partas habuerunt nobiliori amplificatione tota, quanta eſt, debet locari. Quamobrem turpi equidem ingrati animi ſignificatione vituperandi erant Graeci, atque Romani, qui eos a quibus totum ſapientiae, quo fuerant praediti, ſplendorem acceperant inſolenti audacia inviſo Barbarorum nomine appellare deinde conſueverant. Verum eo, unde digreſſa eſt, oratio noſtra revertatur.

Rebus ita ſe habentibus videbantur Graecanicae litterae ad ſummum ejus, quo inter homines potiri ſas eſt, ſapientiae apicem pertigiſſe; nam non artes modo humanio-

nio-

niores, ſed praeſtantiores ipſae diſciplinae, Phyſica, Aſtronomia, Matheſis, Theologia, Ethica longe lateque per orientales, occiduaſque oras fuerant undequaque delatae, auctaeque plurimum atque illuſtratae. Verum cum ſummis conſiſtere diu, ut ex vulgato fertur adagio, perpetuo fuerit denegatum, triſte ſpectaculum ex tanto rerum ſplendore effectum eſt; efferatiſque nationibus erumpentibus è Septentrione, atque barbaris per culta Aſiae, Europae, & Africae littora effuſis populis, tetra repente telluri nox incubuiſſe viſa eſt: Foecundiſſimae cum primis totius Greciae, atque Italiae regiones incendiis vaſtatae dirutae, Urbes, ac pollutae everſis antiquiſſimis delubris ceremoniae: Publica praeterea privataque omnia prophanata jura, intermiſſae artes, exuſtae Bibliothecae ditiſſimae, omnibus dominante demum Oſtrogothorum, Gothorum, Longobardorum, Wandalorum, Herulorum, Saracenorum, Turcarum foeda colluvie.

Ne vero quae retroacta multorum ſeculorum ſerie geſta eſſe triſti narratione repetamus, illud tantum referre lubet, ante

An-

Annum videlicet 1453. *unum fuiſſe toto Occidente Philoſophiae vultum. Nihil enim aliud privata, publicaque Gymnaſia, praeter unam Ariſtotelis crepabant doctrinam: Hic unus hominum magiſter, ac Philoſophorum Deus audiebat. Hinc inaniſſima illa diſputandi methodus invaluit de univerſalibus, de nominum anologia, de primo cognito, de principio individuationis (ſic enim loquebantur) de diſtinctione quantitatis a re quanta, de maximo, & minimo, de infinito, de intenſione & remiſſione, de proportionibus & gradibus, deque aliis hujuſmodi quiſquiliis ferme ſexcentis, quas dicere non vereor eos, qui haec tractarunt haudquaquam intellexiſſe. Eo uſque pervenerat in Italia maxime noſtra nefanda id genus Arabum Ariſtotelicorum lues, atque eo longe lateque omnium potiebatur, ut celebratiſſimus eorum temporum ex Hiſpania Praedicatorum nobile decus Canarienſis Epiſcopus Melchior Canus vehementer hiſce verbis rem improbaſſe legatur.* Audivimus Italos eſſe quoſdam, qui ſuis, & Ariſtoteli, & Averroi tantum temporis dant, quantum

tum ſacris litteris ii, qui maxime ſacra doctrina delectantur; tantum vero fidei, quantum Apoſtolis, & Evangeliſtis ii, qui maxime ſunt in Chriſti doctrinam religioſi. Ex quo nata ſunt in Italia peſtifera illa dogmata de mortalitate animi, & divina circa res humanas improvidentia; ſi verum eſt quod dicitur (a). *Quare ſi qui iis diebus politiori incubuiſſe litteraturae comperiebantur, velut impii atque a Fide Catholica perfugae traducebantur, eorumque dignitatem in infamiae, aut vitae etiam diſcrimen nonnulli ideo ſtultiſſimi alienae ſapientiae cenſores adducere conſueverant, quod totum rancidulae maleque olentis Philoſophiae fructum a ſe multo ſtudio comparatum continuo pereundum fateri erubeſcerent. Tantis igitur obſiſtere ignorantiae teterrimae augmentis cum nullus ad illa uſque tempora generoſe fuiſſet molitus, juxta Supremi Numinis voluntatem totam Italis noſtris gloriam fore tribuendam in fatis erat: Quandoquidem ex immani Arabum Phyſiologorum barbarie & intolerabili dominatu, è Grae-*

(a) *Loc. Theolog.* lib. 10. Cap. 6.

canicae Philoſophiae ruderibus, Platonica ſecta, aut alia recens omnino legitur reſtituta; ac paulatim naturalis hiſtoria, Anatomia, Aſtronomia, Mechanica, nec non reliquae artes in priſtinam libertatem vindicari ceptae ſunt. Omnium ſane ex Italia celeberrimorum geſta, conſtituta non patitur brevitas enarrare; quocirca dicere praetereo Neapolitanos plures omnigena Phyſiologia floruiſſe praeſtantiſſimos; Teleſium videlicet Bernardinum, Brunum Jordanum, Vaninum Julium Caeſarem, alioſque permultos; atque ad extollenda eximia Florentinorum, atque Arretinorum ingenia è veſtigio me conferam.

Piſanorum everſa pene Republica jamque in Florentinorum poteſtatem redacta, magnificus è Medicea Gente Laurentius ut firmiſſimum litteris litterarumque cultoribus adverſus temporum injurias praeſidium ſtabiliret, atque ſui famam immortalitati conſecraret, in eadem urbe Lycaeum nobile condidit, ampliſſimiſque propoſitis ſtipendiis, ac praemiis eximios undequaque praeceptores ut illuc confluerent invitavit; quos cum prae-

ſen-

ſentia ſua ſaepenumero, tum iis Filio ſuo Joanne Cardinalitia dignitate tum temporis inaugurato ad inſtituendum litteris tradito, decoravit. Memorandum equidem tanti Viri facinus, ea qua praeſtabat ingenita animi magnitudine, non intra Piſarum fines conſiſtere ſolum patiebatur, niſi Patriam perinde Florentiam illuſtriori diſciplinarum omnium ornamento prae reliquis Italiae Civitatibus magnificaſſet. Academia itaque intra paterna domus ſepta Florentiae inſtituta omnigena liberalium artium copia celebri (praeter Leonardum Arretinum, Podium, atque Politianum olim praeceptores ſuos) praeſtantiores, ut ex univerſa Italia, ſic ex Conſtantinopoleos imperio ſub Turcarum immani tyrannide jam oppreſſo Graecorum ſapientiſſimos pleroſque Paleologo ſtipendiis jamdiu deſtitutos, ad Laurentium confugiſſe ſcriptis proditum eſt vulgatiſſimis: Illic aſſidue de re qualibet diſputationes, Phyſices experimenta, Aſtronomicae animadverſiones; illic mechanica inſtrumenta, Optices potiſſimum, inventa, queis Naturae, aut longinqua, aut occulta detegerentur: Illic deni-

que Graecos homines eruditiſſimos a memorato Laurentio, quam benigne exceptos; Marſilium ſcilicet Tracagnotam, Calcondilem, Gazam, Georgium Trapezuntium, Franciſcum Philelphum, alioſque non paucos mirifica ſermonis vi, lepore, & eruditione differentes audire fas erat. Inter hoſce vero è Graeciae finibus ad Thyrreni maris littora ſub tanti Maecenatis clientela appulſos, Joannem quendam celebrem Laſcarium nomine eminere non dubito; Virum ſane Imperatoria proſapia, nec non ampliori, quam dici valeat, eruditione praeclariſſimum: Ipſum ſingularem fuiſſe (cujus opera atque apud Bajazetem II., qua plurimum valuit, gratia tandem aliquando effectum eſt ut facili negotio perinde ac pretio Manuſcripti Graeci Codices pene abſque numero Florentiam adſportarentur) eruditi univerſi teſtantur; Eidemque grati animi ergo litterarum omnium inſtaurationem referunt acceptam. Tam magnis itaque honoris auctus facinoribus occubuit Laurentius de litteris optime meritus, grandia, atque illuſtria poſtquam fuerat molitus, poſtquam ſcientiarum olim

florens

florens imperium è ſervitutis obſcuritate tunc ſepultum ad priſtinum ſplendorem revocari ſtuduerat. Strenuus atque magnanimus equidem Vir Maecenas, a Clariſſimo Vincentio Martinellio (a) *Julio Caeſari aeque ac perbelle comparatus! Neque tamen opinandum eſt, expolitiores artes, cum ſub reliquis Etruriae Magnis Ducibus, atque Principibus extorres è finibus noſtris, tum maxime ſub Coſma II. vel minimum abiiſſe: Etenim immortalis, neque unquam ſatis pro merito commemorandus Aſtronomus & Mathematicus ille noſter Galileus de Galileis ita ſupra caeteros Europae totius ſapientes glorioſum caput efferre poſſe videtur, ut omnium, qui deinde Philoſophi nomen ſibi compararunt, omni dubio procul ſit princeps appellandus Praeceptor. Ejus ingenii ſe admiratorem fatetur Grotius in ſua ad ipſum data Epiſtola; maxime autem apud Gallos tanti habitus eſt Galileus, ex Leonis Allatii teſtimonio, ut nonnulli illius tantum viſen-*

(a) *Vide bujus elegans Opus Typis Londinenſibus etruſco tamen ſtylo evulgatum; cui titulus:* Storia Critica della Vita Civile, pag. 78.

di cauſa iter in Italiam inſtituerint. Plurima equidem ſunt, quae aut ille detexit, aut ab aliis accepta auctiora tradidit, atque meliora. Praeter alia Teleſcopii Aſtronomici inventio, Copernicanum Syſtema de motu Telluris circa Caeli orbes, Maculae ſolares, nec non circumjoviales Planetae ab eodem detectae in tanti Viri ſcriptis animadvertendae cumprimis occurrunt. Galileum vero aetate praeceſſerat praeclariſſimus Arretinus Andreas Ceſalpinus illuſtre hujus Urbis atque aeternum gloriae veſtrae monumentum, qui Romae primarius Clementis Papae VIII. Medicus Anno 1603. *vita functus eſt, poſteaquam ſanguinis circulationem omnium prior in Orbem, aut invexerat, aut luculentius explicuerat. De rerum origine, & conſtitutione ita diſſeruiſſe Ceſalpinum in comperto eſt apud omnes, ut Ariſtoteli ipſi perbelle ſit coaequandus: Cui praeterea pari dignitatis culmine jungendus eſt Franciſcus Redius, alter Patriae hujus bonos ſane conſpicuus, qui cum Medicinae Hippocraticae inſtauratione & incremento, tum eruditiſſimis Scriptis doctorum hominum poſteritati reli-*

ctis

ctis ac recentiſſimis naturalis hiſtoriae inventis, in tota erit futuri temporis immortalitate victurus. Aequitati demum ſupereſſet conſentaneum laudare nonnulla de Borellio, cujus memoriam Opus a ſe de animalium motu ſummo ſtudio elucubratum tam glorioſe commendat; de Bellinio ingenioſiſſimo Anatomico; de Torricellio, ac Vivianio excellentiſſimis Mathematicis, aliiſque permultis fulgentiſſimis Etruriae noſtrae Syderibus; Quos omnes ſimul celebrem Cimenti Academiam illam a fundamentis pene excitaſſe novimus; cujus deinde exemplo Pariſienſes, nec non Londinenſes ſatis modo famoſae Academiae inſtitutae leguntur. Verum tantam Florentinae, atque Arretinae nationi duntaxat in litteris inſtaurandis illuſtrandiſque gloriam tribuiſſe, ne quis mihi fortaſſe jure ſuccenſeat, dicam praeterea quae de antiquis Senarum civibus cum laude referenda eſſe nonnulla monumenta fidem faciunt.

Etenim Vetus illa, quae tunc temporis libertate potiebatur, Reſpublica opibus, commercio, Civium ſtrenuitate, & multitudine flo-

ſlorens ex ſama Graecanici excidii undique pervagata ad Cardinalem Beſſarionem, qui plurimum apud ſuos auctoritate poterat, Epiſtolam ſcripſiſſe dicitur; in qua, ut ex Auguſtino Dato (a) *referente edocemur, illum vehementer cohortatur, ut quot velit Graecos homines ad ſuae ditionis incolenda Maritima venire praecipiat; atque eas coloniis offert idcirco regiones, quod coeli ſalubritate, locorum amaenitate, ſoli frugumque ubertate & copia delicioſiſſimae ſint. Ex quo conjicere fas eſt quanto cum caeteris Italiae gentibus pro praeſtantioribus litteris aeſtuaret amore Senenſis eo tempore Reſpublica, quae cum ſapientiſſima Graecorum natione tam magnis humanitatis officiis agere conſtituiſſet. Diuturnum vero eſſet opus Senenſium ſummorum Philoſophorum catalogum contexere, & ab inſtituto aliquantulum fortaſſe remotum. Unum pro cunctis celeberrimum Andream Matthiolum vobis perſpectum habere*

(a) *De eximio iſto Senenſium litterarum ſplendore dicendum mihi ſe offert; illum quo tempore, Reſpublica ad Beſſarionem dedit Epiſtolam Secretarii pro eadem munere fungi. Conſulantur Ejus Opera ubi memorata inter reliquas eleganti ſtylo conſcripta legitur Epiſtola.*

bere ſufficiat; qui Botanicae, ac naturalis hiſtoriae inter accuratiores primos Parentes debet adnumerari.

Horum ergo celeberrimorum noſtrorum hominum veſtigiis inhaerentes, & ſplendore illuſtratos nonnullos è Gallia elapſo ſaeculo, qui mentis praeſtantia perſpicuitate & elegantia in primis cum floruerint, ſyſtematum inventores audierunt, quaecumque ab ipſis recens excogitata mundo ignorantiae tenebris & ſquallore denuo ſepulto videri poterant, ex tantis Auctoribus decerpſiſſe, atque ad accuratius ſaniuſque philoſophandum univerſam ferme Europam compuliſſe extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt: Quos inter merito princeps cenſeri debet Renatus Des-Cartes *ſeu Carteſius, deinde Maignanus, Petrus Gaſſendus, Malebranchius, aliique ſummi. Ex iiſdem hauſiſſe fontibus quoſcumque eximios Phyſiologos ſuos proferre poteſt Anglia, atque Germania nemo huc uſque inficiatus eſt. Mirum profecto ac portento pene ſimillimum! Quae enim fera olim atque inhoſpita Britannia extra hominum mores cultuſque poſita videbatur, feracif-*

ratiſſima hoc noſtro aevo magnorum extitit ingeniorum. Equidem longum eſſet hujus Inſulae ad hodierna uſque tempora, aut ſingulos praeclariſſimos Viros commemorare, aut quantum Philoſophorum Reipublicae utilitatis atque amplificationis attulerint enarrare: Neminem enim veſtrum latere arbitror, praeter innumeros, quos noſtra hac etiam tempeſtate excellere audivimus egregios Phyſiologos, Burnetium Wiſtonum ac ſpectatiſſimum Newtonium floruiſſe. Quid vero verbis proſequar de Leibnitio, & Wolfio Germanorum hominum celeberrimis Philoſophis? Eos nempe cum reliquis hactenus memoratis è Graeco-Etruſcis fontibus quaecunque eorum opera ad litterarum incrementum prodierint, hauſiſſe.

Reliquum eſt ergo ut nobiſcum jure gratulemur, atque ad aemulandam Patrum noſtrorum virtutem excitemur: Probro namque inſigni Etruſcae juventuti eſſet vertendum ſi domeſticis tantis totius Philoſophiae provocata Anteſignanis; qui cum incredibile nationi decus, tum maximas utilitates pepererunt; ipſa nihilominus deſidia, atque

igna-

ignavia languere, ac dejici pateretur. Etenim qui rerum admirabilium, quae in terris mundoque fiunt, cauſas aperiunt? Philoſophi. Qui herbarum, qui ſtirpium, qui animantium ortus, progreſſus, naturas, vires, commoda proſequuntur? Philoſophi. A Philoſophis omnis doctrina liberalis, a Philoſophis omnis hiſtoria, a Philoſophis omnis artium varietas ſumi poteſt: Ab his Oratores Sacri atque prophani, ab his Principes, & rerum-publicarum Rectores, ab his perfecti demum quicunque Eccleſiaſtici viri extiterunt; nec quiſquam unquam aut in dicendo, aut in rebus gerendis excelluit, qui non prius in Philoſophorum officina expolitus fuiſſet. Ac mihi quidem ſaepenumero permirum videri ſolet, Sanctuarii Miniſtros reperiri nonnullos uſque eo excordes, qui Eccleſiaſtici munus ab homine Philoſophiae ignaro peragi poſſe credant: Quorum profecto minuenda videretur opinio, niſi eſſet nobis cum ſumma rerum omnium ignoratione pugnandum. An vero eos omnes decipi poſſe putant, ac fruſtra tempus illos conteri voluiſſe ſpectatiſſimos,

do-

doctiſſimoſque Ecclaeſiae Praeſules; qui, ut de rebus ad Religionem ſpectantibus, ita de cultioribus Philoſophiae diſciplinis Praeceptores, quantum ab ipſis fieri poterat, meliores juventuti in Seminariis inſtituendae accurato, ac pervigili ſtudio praeficiendos curarunt? Forte ne praeter graviora Eccleſiae negotia Sacerdoti adulto, jamque ſtudiis emancipato honeſtius aliquid, aut delectabilius eſſe poteſt, quam identidem repetere, horiſque ſaltem ſubſecivis per amoeniſſima Philoſophiae viridaria undequaque vagari?

Sed & temporis me ratio, & veſtra ad diſcendum inflammata voluntas, ut vela contraham portumque tandem aliquando reſpiciam, ſatis ſuperque me monet. Neque demum credibile eſt profecto, poſſe aut me, aut quenquam ad majorum noſtrorum tuendam gloriam vos excitare; ſive de fructibus, qui ex accuratioris Philoſophiae nobis relictae tractatione capiuntur vobiſcum melius, aut copioſius verba poſſe facere; quam ſi unuſquiſque veſtrum ſerio mente illa, quae diutius a me vobis dicta ſunt, quam rei brevitas poſtulabat, attenteque revolvat.

Ita-

Itaque totius operis Proemio huic finem imponam. Vos ergo juvenes optimae ſpei, atque univerſae Philoſophiae percipiendae cupidiſſimi, quae deinceps a me typis evulgata primum lectitare ceperitis, deinde a me perinde latiori ſermone oretenus interpretari brevi eritis audituri, libenti excipite animo; atque perſuaſum habetote ad caeteras veſtras utilitates, hanc quoque conſulto factam fuiſſe acceſſionem, ut nullo ſtudiorum veſtrorum iter interclusum obſtaculo cerneretis: Vos inquam macti animis, neque aut labor deterreat, aut voluptates avocent, quominus in abditiora Phyſiologiae adyta penetretis. Vobis enim vigiliarum ſudorumque veſtrorum, cum fructus ex maxima diſciplinae honeſtate, utilitate, atque voluptate proponitur, tum magna inter homines praemia ac commendationes ſunt conſtitutae.

INDEX CAPITUM ATQUE SECTIONUM

QUAE IN HOC OPERE CONTINENTUR.

****

CAPUT PRIMUM.

SECTIO PRIMA.

De ſimplici rerum perceptione, quae prima inter humanae mentis operationes, vulgo etiam apprehenſio nuncupatur. Pag. 1.

SECTIO II.

De Idearum Geneſi. Pag. 8.

SECTIO III.

De Idearum Univerſalitate; ubi quinque Porphyrii Ideae, nec non perbreves Categoriarum notiones traduntur. Pag. 14.

SECTIO IV.

De Idearum diviſione; quaeque obſervanda ſunt, ut recte fiat. Pag. 29.

SECTIO V.

De Idearum veritate & falſitate; de claritate & obſcuritate; ac de earundem diſtinctione & confuſione. Pag. 34.

SECTIO VI.

De Idearum ſignis: Qua ratione pro eorum varietate ſint uſurpanda; quibuſque cautionibus utendum ſit ne decipiamur. Pag 42.

CAPUT SECUNDUM.

SECTIO PRIMA.
De recto judicio earum rerum, quas Idearum lumine comprehenſas habemus. Pag. 73.

SECTIO II.
Varia exponuntur Propoſitionum genera, de quibus judicium ferre debemus. Pag. 86.

SECTIO III.
Animadverſiones ac praecepta perutilia quaedam pro ferendo judicio de iis, quae ſenſuum auxilio nobis innoteſcunt. Pag. 115.

SECTIO IV.
Ea exponuntur reliqua adverſus rectum judicium vitioſa incommoda, a quibus Philoſophos maxime decet abhorrere. Pag. 140.

CAPUT TERTIUM.

SECTIO PRIMA.
De ratiocinatione ſeu diſcurſu; ubi ſupremae in humana mente operationis exponitur natura. Pag. 149.

SECTIO II.
De ſyllogiſmo ſimplici atque compoſito. Pag. 154.

SECTIO III.
De ſyllogiſmi recto uſu. Pag. 158.

SECTIO III.
De omnium argumentorum Principe ſorite. Pag. 165.

S E C T I O IV.
De reliquis argumentationis ſpeciebus. Pag. 172.

S E C T I O V.
Recenſentur fontes praecipui, quibus ratione materiae ratiocinia noſtra ſaepe corruunt. Pag. 176.

S E C T I O VI.
De vitioſis ratiocinationibus quibuſdam, quae in vita Civili ducenda, ac in ſermone communi plerumque contingunt. Pag. 193.

CAPUT QUARTUM.

De Methodo & vario illius genere. Pag. 201.

S E C T I O P R I M A.
De methodo Logico = analytica, ſive inventionis. Pag. 202.

S E C T I O II.
De Methodo Logico = Synthetica, ſive Doctrinae. Pag. 249.

S E C T I O III.
De Studendi nec non diſputandi Methodis. Pag. 259.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De ſimplici rerum perceptione, quae prima inter humanae mentis operationes, vulgo etiam apprehenſio nuncupatur.

SECTIO PRIMA.

INcultus, atque inexpertus plane ad animi functiones rite obeundas naſcitur homo: qui tametſi ex nativa ſui facultate cogitandi vi pollere dicatur, nihilominus in humili ingenii inertia perpetuo languere cerneretur, niſi educationis opera, artiſque praeſidio recte inſtitui poſſe comperiſſemus. Ac ſane nihil optabilius eſt bona mente, rationiſque ad verum a falſo ſecernendum aequabilitate; cujus tam

late patet doctrina, ut quae caeterae animi dotes limites habent ſpatiiſque concluduntur, methodus autem rationis recte utendae in omnibus vitae officiis, abſque ullo ambitu, ubique vagatur. Neque vero in ſcientiis tantum errorem a veritate ſegregare difficile eſt, ſed in omnibus, quae peragunt homines, in omnibus de quibus colloquuntur arduum perinde ſe offert. Nuſquam enim plurima non contingunt, quae biviorum inſtar in ancipiti nos plerumque relinquunt, quorum ſemita una ad veritatem, altera ad falſitatem recta perducit. Rationis eſt igitur probe inſtitutae, cui nam ſit inſiſtendum eligere: Qui legitime ſeligunt rationem optimis hujuſce artis canonibus habent initiatam, atque formatam; qui vero ſecus, etſi vulgo eruditi videantur, nec penitus inculti, in hac tamen praecipua hominis facultate rudes omnino ſe praebent, atque jejunos: Hinc ergo primum maximumque diſcrimen multiplicium petendum eſt ingeniorum. Quae cum ita ſe habere comperiam, in id maxime mihi erit incumbendum, ut ad ſelectiſſima quaedam praecepta mentem componamus noſtram, atque ut vos principem ſtudiorum veſtrorum partem addicetis.

§. I.

§. I.

AD eliminandam mentis quamcumque hallucinationem, conſtituimus primo ſimplicis perceptionis nomine, nihil aliud nos intelligere, niſi ideam (a), ſeu mentis noſtrae affectionem illam, qua rem perceptam attingimus, quin de ipſa re quidquam a nobis affirmetur, vel negetur; ut cum in ligno ſoliditatem, extenſionemque, in igne vero lucem, atque calorem cogitatione complectimur, nulla facta affirmationis ſoliditatem &c. inter & lignum, vel lucem &c. inter & ignem conjuntione.

§. II.

OMnes autem ideae ad tria ſumma capita referuntur; vel enim ſubſtantiarum, vel modorum, vel demum relationum ſunt ideae. Subſtantiae perceptio itaque, ſive idea, illa dicitur ejus rei, quae exiſtit, vel exiſtere poteſt, quin rei alteri inhaereat neceſſario; ut cum, exempli ergo, hominem, equum, florem &c. percipimus; quae omnia ita a nobis intelligi liquet, quin alteri adhaeſionem ullam contemplemur; Scilicet non ſolum praedicta-

(a) *Primus omnium Plato idearum nomen adinveniſſe dicitur, ut teſtatur Seneca* Epiſt. 59. Edit. Baſileenſis 1557.

rum ſubſtantiarum ideas concipimus, verum etiam ſub ratione ideae ſubſtantiae apprehendimus. Modificationis deinde ideas intuemur, cum attributa aliqua objecto cuilibet adjudicanda cognoſcimus; ita *motus & cogitatio* modi ſunt, ſeu modificationes, quae neceſſario animantis, & ſpiritalis ſubſtantiae propriae ſunt, quae tamen cum ſubſiſtere per ſe ſe non valeant, ſed neceſſario alteri rei debeant inhaerere, ideae proinde modorum appellabuntur; quas tamen neceſſe eſt in iis percipiendis ut ab ipſis rerum modificantium ideis ſecernamus. Denique inter res quaſcumque invicem comparatas relationes plurimae interſunt, aliquod nempe convenientiae, & connexionis genus, vel aliqua diſcrepantiae vel diſſimilitudinis intercedit ratio, quibus relationum perceptiones conſtituuntur. Ita ex. gr. vel mutuo res coexiſtunt, ut in ſole lux, & ardor, vel ſecus; vel ſimiles ſunt, ut in qualibet ſpecie ſimilia inter ſe ſunt individua, vel diſſimiles, ut bruta ab hominibus differunt; vel aliae aliis vel majores, vel minores, vel aequales; vel aliae ab aliis oriuntur, & aliquo modo pendent; vel alias gignunt, & efficiunt, ut innumeris luce ipſa clarioribus exemplis patere arbitror. Quaevis ergo id genus apprehenſio idea relativa debet appellari, quae ita cum reliquis duabus totum idearum quarumcumque ſummam complectitur, ut adaequatam omnibuſque

buſque numeris abſolutiſſimam diviſionem habeamus. Etenim impoſſibile plane eſt aliquam nobis ſpectandam objici perceptionem, quae nec ſubſtantialis, nec modalis, nec relativae ſit indolis; eo perinde pacto, quemadmodum impoſſibile eſt omnino, ut aliquid exiſtat, aut exiſtere poſſit, quod nec ſit aliquid, quod alicui rei non inſit neceſſario, quod nec aliqua inter duo vel plura relatio dici neceſſe ſit.

§. III.

Simplex rerum perceptio non tam circa ſimplices, verum etiam circa ideas compoſitas verſatur; neque enim eo ſimplicis nomine donari uſuvenit, quod ſimplices dumtaxat ideas contempletur; ideo vero ſic appellari conſuevit quod ſolis inſpiciendis ideis incumbat, quin aliquid per judicium de iiſdem aut neget, aut affirmet; ut paulo ante §. I. diceba. mus. Simplex itaque idea ſatis per hoc a com. poſita diſtingui videtur, quod illa nimirum in plures diſtinctas notiones nequeat reſolvi; haec vero ſecus. Ita ex. gr. Idea doloris, quem experimur, dum acu pungimur, idea ſimplex eſt; neque enim illius ſenſus perceptio ex pluribus ideis aliquid unum conflantibus coaleſcit, imo nullis profecto conſtat perceptionibus, quae ſimul junctae illam conſtituant: Eadem ratione unitatis, veritatis, exiſtentiae,

voluntatis perceptiones, ideae ſunt ſimpliciſſimae; quod nullis nempe compoſitae partibus intelligantur. At vero idea, quae compoſita dicitur, plures notiones intra ſe diſtinctas complectitur; ut ex. gr. Idea trianguli, quae ex trium linearum, trium angulorum, & ſpatii cujuſdam inter haſce lineas, & angulos circumcluſi ideis conſtare cernitur: Rurſus idea miſericordiae (cujus eſt aliena infortunia animi aegritudine dolere) idea compoſita eſt; ea enim ex ideis alicujus miſeriae, hominis miſeria illa affecti, & ejus, qui compaſſione commotus alterius caſum dolet, tota conſurgit: Eadem ratione ideae Urbis, Domus, Templi, Arboris, Animantis, Picturae &c. compoſitae ſunt ideae; omnes enim, quotquot ſunt, aliis pluribus componuntur.

§. IV.

PRaetereunda quoque non eſt altera a Logicis vulgo tradita idearum diviſio; in adaequatas ſcilicet, & inadaequatas. Priores illae ſunt, quae omnia in ſe contenta menti contemplanti clare exhibent; poſteriores autem, quae non ſatis accuratae ſunt, & quae nonnullas tantum partes rei illius, de qua cogitamus, attingunt. Igitur ideae ſimplices, univerſae ſunt adaequatae: Simplices enim ideae pluribus haud conſtant partibus; ut mox

prae-

praeconſtituto paragrapho dictum fuit ; atque adeo ideae noſtrae , quae ſimplices perceptiones habent pro objecto, quidquid in hujuſmodi perceptionibus eſt , prorſus complectuntur , non partes tantum aliquas . Ita ex. gr. cum de calore, frigore, aut ſacchari ſapore cogitamus adaequatae ideae nobis obverſantur ; conſtat enim id genus ideas nullis conſtituentibus efformari quodammodo partibus , ac proinde totas nos poſſe mente complecti: Verum non ita ideae compoſitae juxta earum ſupra expoſitam definitionem, totidem ideae inadaequatae debent exiſtimari; nam etſi plures notiones intra ſe diſtinctas illae complectantur , ſub una nihilominus ideae ex pluribus coaleſcentis ratione integra & perfecta cernuntur.

Cum vero quaecumque ſub adaequato adſpectu ſive contemplatione percipi a nobis putentur, ipſa tamen ut argute admodum loquitur magnus Auguſtinus (a) ſcientis comprehenſione finiantur, non temere proinde mihi affirmare fas ſit , nihil eſſe in tota qua latiſſime patet Idearum Provincia, quod in infinita quodammodo ſui extenſione ab intellectu noſtro perſpici valeat: Quandoquidem ut profunde more ſuo animadvertit alibi (b) memoratus Doctor. *Totum comprehenditur* (in qua rerum comprehenſione adaequata quaevis idea

(a) Epiſt. 112.
(b) Lib. XII. *de Civit. Dei* cap. 18.

conſiſtit) *videndo*, *quod ita videtur*, *ut nihil ejus lateat*: nobis nimirum de peculiari aliqua ſubſtantiae idea cogitantibus, ut illam adaequate attingamus, ſpectandae ſe ſe debent offerri, tum omnes quotquot ſunt ejus cauſae, omneſque proprietates; tum relationes cunctae, cunctaeque modificationes; atque, adeo neceſſe eſt, ut omni penitus modo quo res ipſa *abſolute* cognoſcibilis in ſe eſt, mens illam attingat ac comprehendat. Ex hiſce ergo ſatis apparere arbitror, nullam, niſi nomine tenus, adaequatam exiſtere ideam ab anguſto hominum ingenio aſſequendam.

S E C T I O II.

De Idearum Geneſi.

LOngius profecto, quam par eſſet, protraheretur oratio noſtra, ſi univerſa de Idearum origine Syſtemata hiſtorica methodo perſequi vellem; ſi de Platonis nimirum, Pythagorae, Gaſſendi, Carteſii, Mallebranchii, atque Lockii Sectatoribus juxta varia, & oppoſita eorum inter ſe dogmata, & opiniones nobis eſſet agendum. Quoniam vero opportunius de hiſce in Metaphyſicis praelectio-

lectionibus noſtris ſermonem redire perſpicio, nec admodum Inſtituti noſtri ratio patiatur hic immorari diutius, inter tot diſcrepantium Auctorum ſententias eam conſultius ſeligendam curabo, quae & rationi ſit ipſi conjunctior, & Recentiorum Clariſſimorum Philoſophorum placitis plane conſentiens.

§. I.

IN tres itaque claſſes ratione originis diſtribui a pleriſque ſolent Ideae, cui equidem rectae diviſioni ego quoque ſuffragari non dubito: Nam *adventitiae* quaedam vocantur, *factitiae* aliae; atque ab utriſque quae *innatae* vulgo appellari ſolent, ſecernuntur. Adventitias eas vocant ideas, quae ſenſuum ope perpetuo a nobis comparantur; factitias vero, quas ex adventitiis componendo, aut ſeparando nos ipſi efficimus; Innatas demum, quae ſine opera noſtra in nobis inſitae exiſtunt; quippe quae ab eo temporis momento mentis noſtrae principem ſedem occupent, quo Deus Creator rationalem ſpiritualemque animae noſtrae ſubſtantiam organizato affabreque contexto corpori noſtro mirifice copulat, ineffabiliterque conjungit.

Adventitiae igitur quae dici uſuveniunt ideae, ut fuſius rem majoris claritatis ergo explanemus, rerum omnium, quae ſenſibus

quo-

quodammodo ac occaſione quacumque hauriuntur perceptiones ſunt; quemadmodum cuipiam equum, canem, columnam, arborem intuenti contingit, qui ex horum objectorum atque his ſimilium viſione ideam continuo earum rerum in ſe ſentit excitari. Factitiae autem efformari a nobis ſolent ideae cum ex percepta *montis*, & *auri* notione ſeorſim, ſtatim mens unam ſibi fingit *montis aurei* notionem ſeu ideam, aut ſi ex receptis ex. gr. Ideis *hominis* & *equi*, dimidium hominis cum dimidio equi mens ſimul jungat, & *Monſtri* Ideam conformet. Ad hoc Idearum genus phantaſtica omnia illa commenta referuntur, quae pro lubito & arbitrio mentis a quibuſdam conflantur; ut Harpiae, Sphynges, Chimerae, & univerſa illa Poetarum deliramenta, quibus referti eorum libri cum tanta voluptate perleguntur: Ejuſdem generis quoque ſunt novae Machinae, novae fabricae, novi mechanici cujuſvis operis nondum excogitati, aut viſi conceptiones, quas perſaepe oblectamenti ergo, aliquando etiam ſerio homines moliuntur erigere. Innatas poſtremo ideas ideo ſic nuncupari novimus, quod nullo ſenſuum aut phantaſmatum vehiculo intelligantur. Sic juſtitiae, Veritatis, Vitutiſque perceptiones; quinimo ipſa Supremi Numinis in nobis excitata notio, ita intimo ſenſu & perſuaſione nos afficiunt, ut neque formari a nobiſmetipſis, neque ab

ulla

ulla re creata oriri, atque in nos derivari ipſae potuerint: *Quae enim gens*, perbelle inquit Tullius (a), *aut quod genus hominum, quod non habeat ſine Doctore anticipationem quandam Deorum?* Quae quidem ſententia pari ac legitimo jure reliquis mox commemoratis Ideis accomodari valet.

§. II.

EX tribus hiſce ergo fontibus tota repetenda eſt idearum noſtrarum origo; neque de adventitiis factitiiſque Ideis ulla poteſt eſſe dubitatio: Si quod autem intercedat penes Philoſophos hac ſuper re ſentiendi diſcrimen circa innatas perceptiones totum certe verſatur. Cum vero de hac diſputatione, inter Metaphyſicos celebri, uberius opportuniuſque in ea Metaphyſices parte, quae Pneumathologia inſcribitur, a nobis agendum ſit, ſufficiat hic dumtaxat tanquam indubitatum ſtatuere; plures nimirum nobis ineſſe Ideas, intellectuales prorſus, quae nulla phantaſmatum admixtione concipiuntur, quaeve facili atque expedito rationis uſu ſine objectorum externorum occaſione comparantur. Enimvero conſulto intimae conſcientiae noſtrae teſtimonio noſmetipſi experimur multa percipere ab omni prorſus materiae concretione ſecreta; quippe juſtitiae, veritatis ordinis, turpitudinis, & vitii

Ideae

(a) Lib. I. de Nat. Deorum cap. 16.

Ideae nullam habent cum rebus ſenſibilibus ſimilitudinem, nulla qualitate ſenſibili praedita ſunt, nullaque proinde ſenſatione aut imaginatione menti noſtrae ſe ſe offerre aut repraeſentari poſſunt. Quid plura? Nonne eodem animi noſtri ſenſu intimo novimus ipſammet cogitationem noſtram, omneſque cogitandi rationes vel levi etiam attentione adhibita nos percipere; quid ſit nimirum rerum ideas apprehendere, quid de iiſdem judicare, quid ratiocinari, quid demum veritatem invenire, eandemque ſemel partam in adſpectum proferre? Quid quaeſo clarius vel tantiſper attendenti eſſe poteſt, quam principium illud: *Cogito, ergo exiſto?* Quibus autem rationum momentis ingenitam in nobis Dei O. M. Ideam habeamus pluribus atque ex profeſſo, ut ajunt, alibi agemus cum nimirum Theologiam naturalem verſabimus: Obiter hic recitare ſufficiat appoſitum D. Auguſtini effatum ex libro. *De vera Religione* depromptum: *Deum ergo ſi quaeris, noli foras exire, in teipſum redi, in interiore homine habitat veritas; illuc ergo tende, unde ipſum lumen rationis accenditur.*

§. III.

QUaecumque ex objectis ſenſibilibus hauriuntur a nobis Ideae; ſive illae quoque arte noſtra componendo efficiuntur, univerſae

illae

illae ſunt perceptiones, quae plerumque ex ſenſuum aut phantaſmatum mechaniſmo ortum habent. Attamen ſunt aliae nobiliores quodammodo & magis intellectuali ſubſtantiae accomodatae: Etenim ingenita quadam mens noſtra vi pollet, qua poſteaquam res quocumque modo compoſitas, totamque expenderit earum ſubſtantiam cum omnium ſuarum partium collectione, eam deinde juxta ſingulas ſui partes per abſtractionem, ut vulgo ajunt, conſiderat: Ita ſi viſo corpore aliquo, ut ex. gr. columna marmorea, ejus longitudinem tantum mens contemplatur, omiſſa latitudine; vel ſuperficiem dumtaxat, neglecto magnitudinis volumine, omiſſa etiam marmoris natura, duritie, colore &c. licet haec omnia ſimul adnexa, & coexiſtentia reipſa in columna reperiantur. Hoc abſtractionis genere, quo aliquid tantum conſideramus in objectis, caetera vero, quae ſimul eidem inſunt objecto non conſpicimus, utuntur paſſim Geometrae, qui nudam ſimplicemque longitudinem contemplantur, quin latitudini attendant; vel longitudinem cum latitudine conjunctam, nempe ſuperficiem, quin de profunditate ullatenus cogitent; licet revera nulla prorſus ſuperficies ſit aut eſſe poſſit ſine profunditate, nullaque linea ſeu nulla longitudo abſque latitudine aliqua valeat reperiri. Ad ejuſmodi ergo abſtraendi rationem referri merito debet quarta

item

item Idearum noſtrarum origo; ut inde plane perſpectum habeamus quot ipſae modis comparari, eaedemque a nobis cudi facile queant. Verum & brevitatis me ratio, & majorum rerum tractandarum neceſſitas ad ulteriora compellunt.

SECTIO III.

De Idearum Univerſalitate; ubi quinque Porphyrii Ideae, nec non perbreves Categoriarum Notiones traduntur.

Non me latet a plerisque de arte dialectica ſcriptoribus de idearum particularitate, nec non ſingularitate aeque ac de earum univerſalitate (ut vulgo inter ſcholaſticos fertur) haberi ſermonem. Ejuſmodi tamen tractatio cum circa captu tam facillima tota verſetur, ut primo horum vocabulorum ſonitu clara ſtatim excitetur Idea, non abs re fore exiſtimaveram, ſi ab hiſce modo brevitatis ergo temperaſſem: Quod equidem re ipſa effeci, atque ad utiliora verſanda, nec ipſa tam facile pervia totum me contuli. De hac tamen univerſalitate animadverſiones, ac praecepta praecipua quaedam negligenda eſſe non duxi,

duxi; unde etiam ad explicanda Porphyriana quinque ſatis inter Dialecticos vulgata capita, ex quibus omnis de re qualibet enunciatio profluit, progrederemur.

§. I.

Univerſalis ergo dicitur Idea, ſi hujuſmodi ea fuerit, ut ſimul plura in illa conveniant. Ejus generis eſt Idea animalis. Haec enim ita comunis eſt homini, & belluis, ut ſi ſub animalis ratione duntaxat ſpectentur, homo a bellua nullo prorſus modo diſcerni valeat.

§. II.

Duo porro in Idea univerſali intereſt quam accurate diſtinguere; *comprehenſionem*, ſcilicet, atque *extenſionem*. Sub Ideae comprehenſione veniunt ea omnia, quae ita in illa ſunt, ut nullum plane, quin Idea ipſa deſtruatur, negligi queat: ſub Ideae vero extenſione ea omnia occurrunt, quibus Idea ipſa competit. Sic *Animalitas*, & *rationalitas* ad comprehenſionem Ideae hominis pertinent: at vero *Petrus*, *Paulus* caeterique homines ad illius extenſionem: Hi namque *ſubjecta* ſunt, quibus hominis notio competit; contra vero animalitas, & rationalitas attributa ſunt, quae in hominis eſſentiali notione continentur, nobiſque relucent.

§. III.

§. III.

TAm late vero patens ejuſmodi Univerſalitas atque extenſio minuitur, ſive Idea ipſa ad pauciora contrahitur ſubjecta, ſi illi alteram adjici patiamur. Sic ex. gr. Idea *animalis*, quae omnibus hominibus belluiſque communis eſt, ad ſolos homines coercetur per *rationalitatem*, ſi nimirum ex Idea *animalis*, & ex Idea *rationalitatis* una complexa *animalis rationalis* Idea componatur.

Haec itaque illa ſunt, quae de Idearum univerſalitate a nobis dici fas erat, ne intactum id genus argumentum non parum ſane neceſſarium relinqueremus. Sequitur deinde ut de quinque Porphyrianis Ideis, & ipſis quoque univerſalibus dicendo aliquantulum immoremur. Porphyrianas autem illas appellari uſuvenit, quod ab omnium primo Porphyrio quodam, ſi Ammonio credimus, de hiſce quinque Ideis ex Platonicis fontibus in gratiam Chryſaorii Romani libellus contextus eſt, *Porphyrii Iſagogem* vulgo dictus, quod ſit veluti quaedam ad Ariſtotelis *Categorias* introductio. Plura quidem in eo volumine ſcripſit Auctor Catholicae fidei plane contraria, penituſque abſurda: Verum cum accurate *univerſalium Idearum* numerum naturamque expoſuerit, digna habita haec pars fuit, quae ab omnibus recipere-

reciperetur. Fuit porro Porphyrius natione Judaeus, Patria Tyrius, Chriſtianae Religionis, cui nomen dederat, infenſiſſimus hoſtis, profeſſione Philoſophus, ſecta Platonicus & Plotini diſcipulus, Origenis condiſcipulus, Jamblici Praeceptor, floruitque ſæculo Chriſti tertio.

§. IV.

HUjus igitur Philoſophi doctrina circa quinque univerſales Ideas ad ſequentia coercetur Capita; ad *Genus* ſcilicet; (ſic enim vulgo praedicantur) ad *differentiam*, *ſpeciem*, *Proprium*, & *Accidens*. Haec item ſcite *praedicabilia* appellari ſolent, quatenus nempe omnigenam exhibent rationem, quo unumquodque attributum de re enunciari poteſt: Omne ſiquidem, quod de alio dicitur, enunciatur vel ut *genus*, vel ut *differentia*, vel ut *ſpecies*, vel ut *Proprietas*, vel ut *Accidens* demum. Tribus prioribus modis, ut patebit, attributa illa enunciantur, quae ad ſubjecti eſſentiam pertinent; duobus vero reliquis de re dici ſolent, quae extra illius eſſentiam exiſtunt.

§. V.

G*Enus* itaque attributum univerſale eſt pluribus ſpecie differentibus commune: Hujuſmodi eſt ratio *animalis* ſi ad homines perin-

de, ac belluas referatur; communis quippe illis omnibus ea eſt. Verum ita ad eorum eſſentiam ſpectat, ut adhuc tamen inter ſe eſſentiali diſcrimine differant: Specie porro differre dicuntur, quae ſub eodem genere poſita, natura ſeu eſſentia ſunt inter ſe plane diverſa. Sic *homo* & *equus* ſpecie differunt, quia tametſi ſub eodem *animalis* genere jaceant, in eoque prorſus conveniant, adhuc tamen eſſentialiter inter ſe diſcrepant. Generica itaque ratio, quae maxime univerſalis eſt, determinatur, atque ad pauciora ſubjecta contrahitur per attributum, quod ad ipſorum ſubjectorum eſſentiam itidem ſpectat: Etenim rationalitas, per quam genericum *animalis* attributum contrahitur ad ſolos homines, ita ad eorum eſſentiam pertinet, ut illam intrinſecus, ut ajunt, conſtituat. Atque hoc illud ſane eſt quod ſecundum praedicabile, *differentiam* nempe, determinat; de qua modo, juxta paulo ante propoſitam diviſionem ſumus acturi.

§. VI.

D*Ifferentiae* nomine id omne venit, per quod res una ab altera differt. Duplex idcirco differentia eſt; eſſentialis nimirum, & accidentalis. Differentia eſſentialis, quae ſola nobis modo conſideranda occurrit, illud dicitur attributum, per quod unum ab alio, cum

quo

quo in *genere* convenit, eſſentialiter diſcrepat. Hujuſmodi idcirco in homine eſt rationalitas; per hanc enim homo a belluis eſſentialiter, ut omnibus notum eſt, ſecernitur atque diſtinguitur. Quoniam vero in eo attributo plura convenire ſimul poſſunt, per quod ab aliis eſſentialiter diſcrepant, ut patet de rationalitate, quae omnibus hominibus eſt aeque communis, & per quam homines a belluis differunt, ideo etiam differentia eſſentialis inter ideas univerſales locum tenet, ſeu peculiare univerſale ipſa quoque conſtituit. Definitur propterea: *Attributum eſſentiale commune pluribus ſub eodem genere poſitis, per quod tamen ab aliis ſub eodem genere conſtitutis eſſentialiter diſcrepant*. De differentia pro brevitate propoſita ſatis: Nunc vero de *ſpecie*, quae Tertium *Praedicabile* ſtatuit, nonnulla ſunt exponenda.

§. VII.

Species eſt attributum genere & differentia conſtans, commune pluribus ſolo numero differentibus, de quibus proinde tota eorum enunciatur eſſentia. Sic natura humana ſpecies vere eſt, jureque dicitur: Ex genere ſiquidem & differentia; ex animalitate nimirum & rationalitate intrinſecus conſtat; totaque eorum omnium eſſentia eſt, quae illi ſubjiciuntur. Solo autem numero diſcrepare illa inter ſe mutuo dicuntur,

tur, quae ſpeciei proxime ſubduntur: Nullum quippe eſt illorum diſcrimen ſi penes eſſentiam duntaxat inter ſe conferantur. Quare eadem vocari etiam Individua merito conſueverunt; propterea nimirum, quia nullum eorum in plura talia, quale ipſum eſt, ſecari poſſit. Hinc *Individuum* ſatis apte definiunt Logici: *Id, ſub quo nihil reperitur, de quo illud, vel ut tota eſſentia, vel ut eſſentiae pars valeat enunciari*. Porro licet individua ejuſdem ſpeciei in tota eſſentiae amplitudine conveniant, aliquid tamen in ipſis exiſtit, per quod unum ab altero differt. Hoc igitur individualem ſubſtantiam vulgo appellant ſcholaſtici. Omiſſis autem tricis, affirmo, eam optime deſignari per quandam proprietatum circumſtantiarumque congeriem, ut eadem omnino in duobus reperiri minime poſſit. En itaque quae individualem hominis naturam deſignant atque exprimunt ejuſmodi hexametro:

Forma, Figura, Locus, Tempus, Stirps, Patria, Nomen:

Quae adeo ſunt bene excogitata, ut nihil magis; quemadmodum ea levi etiam manu, ut ajunt, expendendo patère poteſt. Etenim per *formam* intelligitur temperamentum, per *figuram* externa partium diſpoſitio; per *locum* vero ea terrae pars aut Regio, in qua quis ortum duxit; per *Tempus* momentum, quo con-

conceptus homo fuit, atque in lucem editus; per *Stirpem* parentes, e quorum genere fluxit; per *Patriam* autem Civitas, Provincia vel Regnum; per *Nomen* poſtremo Vocabulum illud, quod ſibi quiſque ex more impoſuit. Nemo autem eſt, qui non videat, fieri neutiquam poſſe, ut duo homines in hiſce omnibus plane conveniant. Sequitur deinde ut de *Proprio*; quarto ſcilicet *Praedicabili*, eadem brevitate diſſeramus.

§. VIII.

PEnes Porphyrium quadruplex *Proprium* legendum occurrit. *Proprium* enim juxta priorem hujus vocis acceptionem illud dicitur *Attributum, quod ſoli ſpeciei convenit, ſed non omni*, ut ex. gr. Medicinam profiteri: Licet enim Medicina hominibus tantum competat, non tamen quilibet homo ea pollet arte. Secundo modo vocatur *proprium, quod toti adjacet ſpeciei, ſed non ſoli;* ut duos habere pedes: Id quippe omnibus hominibus convenit; at non ipſis tantum. Tertio modo *proprium* dicitur, *quod omni quidem, & ſoli ſpeciei accidit, ſed non ſemper*: Hac ratione proprium eſt homini caneſcere; verum canities non omnium eſt temporum atque aetatum. Quarto demum modo *proprium* nuncupatur, *quod competit omni ſolique ſpeciei, & quidem ſemper;* cujuſmodi ea

eſt quae homini attribuitur proprietas, veri cujuslibet nimirum inquirendi inveſtigandique cupiditas. De hujus quarti generis proprietate ſermonem praecipue inſtituimus, atque illam majoris claritatis ergo in *genericam* & *ſpecificam* ulterius partimur. Ac prima ea nuncupari debet, quae rebus competit ratione attributi cujuſdam generici, quod in omnibus rebus reperitur; altera vero ita nuncupari debet, quod rebus quibuſdam ratione differentiae ſpecificae tantum conveniat. Sic impenetrabilitas, ut ajunt Scholae, generica corporum proprietas eſt; utpote quae illis nimirum inſit, quatenus praeciſe ſunt corpora, atque adeo licet ſpecie inter ſe differant. At veri inveſtigandi cupiditas, proprietas eſt hominis ſpecifica, quae illis ideo convenit, quia ratione donantur.

§. IX.

QUum itaque plura convenire inter ſe mutuo optime poſſint penes proprietatem tum genericam, tum etiam ſpecificam, ideo *Proprium* quartum univerſale conſtituit. Definitur propterea. *Attributum pluribus numero, vel ſpecie differentibus commune, de quibus enunciatur in quale neceſſario & reciproce*. Dicitur *Proprium* enunciari de pluribus in quale; videlicet ſub ratione attributi, quod ad eſſentiam ſubjecti, de quo dicitur, minime ſpectat; unde patet di-

ſcri-

ſcrimen hujuſce univerſalis a *genere*, *ſpecie*, & *differentia*. Hiſce ſiquidem modis ea attributa de ſubjecto dicuntur, quae ſubjectum ipſum eſſentialiter conſtituunt. Dicitur etiam: Neceſſario & reciproce; quia fieri nequit, ut res priventur attributo, quod illarum proprium eſt; quumque ſolis ipſis rebus conveniat, proprietas ex re, reſque ipſa ex proprietate recte colligitur. Valet enim: *Si homo eſt, ſermocinatur*; & viciſſim: *Si ſermocinatur, eſt homo*.

§. X.

Reliquum eſt tandem, ut quid ſit *accidens* paucis ex more noſtro exponamus. Atquè equidem, tametſi id omne, quod ad rei eſſentiam non pertinet accidens dici poſſit, & ſaepe dicatur, quo ſenſu etiam proprium poteſt accidens nuncupari; hoc tamen loco *accidentis* nomine illud duntaxat *attributum* intelligitur, *quod ita contingenter rei advenit, eique ineſt, ut ſeparari queat a re, deque ipſa negari, illius eſſentia incolumi prorſus exiſtente*. Sic doctrina ex. gr. in homine dicitur *accidens*, quia ſic homini advenit per ſuam eſſentiam atque intimas proprietates jam conſtituto, ut ea carere penituſque privari homo ipſe poſſit, quin labes vel minima illius eſſentiae inferatur. Sive porro hujuſcemodi attributum ſit aliquid per ſe conſiſtens, ſive non, perinde eſt: Sufficit

 enim,

enim, ut rei adveniat, deque ipſa enuncietur penitus contingenter. Atque hinc patet diſcrimen *accidentis logici*, ſive praedicabilis, de quo modo loquimur, ab *accidente phyſico*, de quo in toto hoc noſtro Philoſophiae curſu ſaepe ſaepius redibit oratio. Quoniam ergo hujuſmodi attributum pluribus poteſt eſſe commune; ut patet de doctrina, qua plures ſimul homines pollent, ideo *accidens* ſuum inter praedicabilia locum tenet, jureque ac merito inter univerſalia debet adnumerari.

Brevitas Inſtituti noſtri ampliorem hac de re non patitur nos habere tractationem: Quocirca, ut initio monueramus ad nonnulla de Categoriis curſim explananda gradum facimus.

§. XI.

Finitima quadam ratione adjacent hactenus expoſitis, ac indiviſa inter ſe cognatione quodammodo copulantur quae obiter de Categoriis a nobis ſunt dicenda modo: Eſt enim *Categoria ordinata quaedam attributorum ſeries, quae de ſubſtantiae individuo quopiam a nobis enunciari univerſim poſſunt*. Praedicamenta propterea haec vocari etiam ſolent, quod ſcilicet unum de alio praedicari apud Logicos, perinde ſit, ac unum de alio dici; unde patet diſcrimen maximum *praedicamentorum* a *praedicabilibus*: Praedicabilia namque nonniſi modum

deſi-

deſignant, quo attributum de ſubjecto enunciari poteſt; at praedicamenta ipſa exprimunt, quae enunciantur, attributa.

Archytas Tarentinus, quemadmodum ex Boetii teſtimonio (a); quorundam fuit opinio, omnium primus numerum, nomenque praedicamentorum excogitaſſe commemoratur: Alii tamen ejuſmodi inventum Ariſtoteli acceptum referunt. Verum quidquid de Auctore inter varios opinantes hac ſuper re circumferatur, illud tamen pro certo habemus decem Praedicamenta ab Ariſtotele, cui omnes adſtipulantur ſcholaſtici, recenſeri; *Subſtantiam* nimirum, *quantitatem*, *qualitatem*, *relationem*, *actionem*, *paſſionem*, *ubi*, *quando*, *ſitum*, *&* *habitum:* Quorum ut perſpectam habeatis notionem, vos quaeſo adeſſe animis non pigeat, atque per brevem eorundem auſcultare interpretationem.

§. XII.

Subſtantiae nomine ſpecifica quaepiam natura, ſive individui ſubſtantialis eſſentia interpretanda occurrit, cujus attributa in hac ſerie recenſentur, & explicantur. Haec autem ſubſtantia, vel *ſpiritalis* eſt, vel *corporea*, quae primum ſemper eſſe debet, quod de re quaeritur, atque omnium attributorum, quae in ipſa re patent, deque ea dici poſſunt, ſubjectum,

(a) *Praefat, in* lib. I. *Praedicamentorum*.

Digitized by Google

ctum, principium, atque origo. De hac plura dicenda ſe ſe offerrent, quae tamen non eſt hujus loci & temporis enarrare, ac demonſtrare.

Quantitatis vocabulo multiplex Idea nobis objicitur: Enimvero vel quantitas *diſcreta* dicitur, quando partes diviſas habet; ut *numerus*; vel *continua*, quando illae conjunctae ſunt; quae item aut *ſucceſſiva* eſt, ut *tempus*, *motus*; vel *permanens*, quae alio nomine ſpatium vocatur, ſive extenſio in longum, latum, & profundum.

Qualitatis nomenclatura plura, & ipſa intra ſe exponenda complectitur; hujus namque quaternas Ariſtoteles ſpecies ſtatuit. Harum prima *habitus* comprehendit; omnes ſcilicet animi corporiſque diſpoſitiones, quae a nobis ſaepe repetitis actibus comparantur; quemadmodum univerſae ſunt ſcientiae, virtutes, nec non ſcribendi, pingendi, ſaltandi &c. artes: Secunda naturales continet facultates, ſeu, ut vulgo dicitur, potentias; cuiuſmodi ſunt mentis corporiſque vires; *ut intellectus*, *voluntas*, *memoria*, *quinque ſenſus*, *ambulandi facultas*, atque hiſce ſimilia: Tertia qualitates ſenſibiles ambit univerſas; quemadmodum ſe habet *durities*, *mollities*, *gravitas*, *frigus*, *calor*, *colores*, *ſonitus*, *odores*, *ſapores*: Quarta demum formam complectitur atque figuram, quae externa determinatio quantitatis eſt; *ut figura rotunda*, *quadrata*, *ſpherica*, *cubica &c.*

Re.

Relationis nomine univerſa intelligenda nobis obveniunt, quae unius ad aliud reſpectum habere noſcuntur; ut *Patris ad filium*, *heri ad ſervum*, *Regis ad ſubditum*, *Potentiae ad objectum*; *viſus ad viſibile*; quibus ea omnia addi neceſſe eſt, quae comparationum notae ſunt, *ut ſimile*, *aequale*, *majus*, *minus*.

Actionis voce, vel aliquid in ſe ſpectatum percipiendum nobis ſe ſe exhibet; *ut ambulare*, *ſaltare*, *ſcire*, *amare &c.* vel aliquid extrà poſitum reſpiciendum eſt; *ut percutere*, *ſecare*, *frangere*, *manifeſtare*, *calefacere &c.*

Paſſionis praeterea terminus illud ex ſuapte vi exprimit, quo ſubjectum actu patiens denominatur; *ut percuti*, *frangi*, *manifeſtari*, *caleſieri &c.*

Nomen vero *ubi* locum explicat, ut per ſe patet; ut cum inquirenti reſpondere ita ſolemus: *Romae*, *Pariſiis*, *in muſaeo*, *in lecto*, *in platea &c.* ille moratur aut ambulat.

Vocabulum *quando* illud per ſe explicat, quo ſcilicet quaeſtionibus de tempore reſpondemus; ut cum ſciſcitamur: *Quando vixit? Centum ab hinc annis: Quando hoc factum eſt? Heri.*

Situs vero id explicat, quod perinde eſt ac ſi ad declarandam diſpoſitionem partium in loco ita loqueremur: Sedet ille, ſtat, decumbit, moratur ante, dextorſum, levorſum, &c.

Habi-

Habitus demum rei cujuſpiam ad veſtimentum comparatio eſt; ut habere circa ſe aliquid, quod nobis veſtiendis, ornandis, armandiſque idoneum ſit. At de his pluſquam ſatis.

En decem Ariſtotelis Categorias, tot Sacramentorum foetu, ut quibuſdam placet, gravidas; quamvis ut verum ingenue fatear, illae tam longe a praeſumpta utilitate abſunt, ut menti potius legitimis optimiſque Logices regulis informandae ſaepiſſime noceant. Quandoquidem, ut ſcite admodum animadvertit Vir Clariſs. (a) *hae Categoriae quibuſdam videntur in ipſiſſima ratione & veritate fundatae, cum e contra nihil illis magis arbitrarium ſit; quippe quae e Viri cujuſpiam imaginatione prodierunt, penes quem jus nullum ad leges aliis ſcribendas; qui non minus, quam ille, uti potuerunt ſuo jure ad objecta cogitationum ſuarum eo ordine diſponenda*. Cui equidem ſententiae ſuffragari non vereor, quod nimirum univerſa, quae de rebus Phyſicis dici poſſunt in meliores clarioreſque debeant ſecerni claſſes, quae rerum naturalium ſcientiam amplificare valeant ac tutius indigitare. Ex qua etiam immodica in Ariſtotelis Categorias veneratione perniciosiſſimum enatum eſt incommodum; quod homines nimirum illarum cognitione inſtructi inanes verborum cortices pro ſolida Philoſophia excipere huc uſque conſueverint. Prolixa nimis

(a) *Artis cogitandi Auctor* Part. I. Cap. 3.

mis augeretur oratio, ſi plura hac de re perſequi vellem: ſatis modo fuiſſe credamus, nos brevi earum expoſitione illud duntaxat propoſitum habuiſſe, ut earundem levis aliqua notitia traderetur, ne quid Tractationi noſtrae deeſſe comperiretur, quod nonnihil ſaltem proficuum eſt; non autem ut illas inter maximas praecellenteſque praeceptiones, eruditioneſque adcenſere vellemus.

SECTIO IV.

De Idearum diviſione; quaeque obſervanda ſunt ut recte fiat.

De diviſionis utilitate in quavis arte tradenda aut ſcientia dicere ſupervacaneum exiſtimo, quod ipſa re atque experimento ſimus comperturi quantum ad perceptiones Idearum noſtras bene efformandas ea ſit nobis profutura. Quamobrem breviori, quantum a me fieri poterit, ſtylo quot ipſa modis verſari debeat primum oſtendam, deinde leges aliquot ſtatuendas curabo, quarum luce optimam ſemper dividendi methodum conſectemur.

§. I.

§. I.

DIviſio itaque, generatim accepta, *totius cujuſpiam eſt in ſuas partes diſtributio;* adeo ut *univerſae Ideae*, quae compoſitae ſunt huic diviſionis neceſſitati ſubiiciantur: In eo nimirum tandem integrum dividendi munus ſitum eſt, ut ea, quae ad totum aliquid pertinent, ad certa ſecreta membra revocentur: Hinc totuplex dicenda eſt diviſio, quotuplex eſt totum, quod dividi poteſt.

§. II.

QUemadmodum duplex *Totum* exiſtere novimus, ita etiam duo diviſionum genera conſtituere neceſſe eſt. Primum *Totum* pluribus conſtat partibus per ſe ſe atque *realiter*, ut ajunt, diſtinctis, quod apud Latinos propriè *Totum*, ejuſque diviſio peculiari vocabulo *Partitio* appellari uſuvenit. Sic domus ex. gr. in tectum, parietes, fundamenta, &c. Urbs in regiones ſeu ſtationes, Regnum in Provincias, homo in corpus & animam, corpus in membra dividuntur. Hujus autem diviſionis rite faciundae methodus in accurata partium enumeratione ſita eſt. Alterum *Totum* quod etiam *Logicum* vocari ſolet, dicitur attributum quodcumque univerſale, quod

per

per differentias ad plura determinatur, ac in illa veluti diſtribuitur: Sic animal *Totum* dicitur Logicum, quia per Rationalitatem, & Irrationalitatem in homines, atque belluas certo quodam modo dividitur: Ita etiam ſubſtantiae Idea eodem diviſionis genere in Spiritalem, & corpoream, illa in ſimplicem & compoſitam, haec autem in viventem & non viventem mente duntaxat ſecernitur.

Hactenus de diviſionis indole quantum ſatis erat: nunc vero de optimae diviſionis canonibus religioſe ſervandis nonnihil erit agendum.

§. III.

UT optimam ergo diviſionem aſſequamur, curandum inprimis eſt, ut quoad fieri poteſt illa *brevior* fiat. Ut enim egregie animadvertit Seneca (a) *idem habet vitii nimia, quod nulla diviſio*: Dividi enim, non concidi utile eſt; nec proinde in partes adeo minutulas ſecanda eſt, quae omnino mentis aciem effugiant. Enim vero anguſtis admodum finibus circumſcriptum eſt hominis ingenium, ut in rebus diſcernendis, ſi nimis progrediatur, plane ſit impar, ejuſque vis obtundatur.

(a) Epiſt. 90.

§. IV.

§. IV.

ATtendendum quoque ſecundo eſt, ut diviſio adaequata ſit; ut nimirum diviſionis membra ſimul ſumta, neque totum diviſum excedant, neque ab illo deficiant; ita ut nec plura, nec pauciora reperiantur in diviſione membra, quam in toto diviſio; ut ſi qui ex. gr. ſubſtantiae corporeae ideam ſecare vellet, ac ſimul inter dividentia capita aliquod admiſceret membrum, cui ratio corporis haudquaquam competeret; aut ex adverſo ſi aliquis ſubſtantiae generatim acceptae diviſionem inſtitueret, quin inter membra dividentia ſpiritales etiam ſubſtantias collocaret, ambo contra ſtatutam hanc legem delinquerent. Obnitendum eſt ergo; ita egregie monet Quintilianus (a), *ne quid in ea deſit, ne quid ſuperſit. Supereſt autem ſic fere cum aut in ſpecies partimur, quod in genera partiri ſit ſatis; aut genere poſito ſubjicitur ſpecies, ut: Dicam de virtute, juſtitia, & continentia; cum juſtitia, atque continentia virtutis ſint ſpecies.*

§. V.

COnari praeterea tertio debemus, ut diviſionis membra ſe ſe mutuo excludant; ut videlicet hujuſmodi ea ſint, ut illorum unum

(a) Lib. IV. *Inſtitutionum Orator.* Cap. 5.

unum in altero minime contineatur. Ut enim ſcite admodum advertit Tullius (a), *vitioſum eſt in dividendo, partem in genera numerare*. Atque equidem hujus animadverſionis defectu eos peccare exiſtimo, qui *animal* in ſenſitivum & rationale dividunt; cum tamen rationale, ut evidens eſt, ſenſitivum complectatur: Nullum eſt enim *animal*, quod ratione praeditum ſit, ac vi ſimul ſentiendi haudquaquam polleat.

§. VI.

Laborandum poſtremo nobis eſt, ut diviſio fiat in membra proximiora, ſive immediata. Nimirum in omni diviſione ea primo numerentur, quae ipſum *Totum* immediate dividunt, vel conſtituunt; tum ea, quae nonniſi mediate illud reſpiciunt. Sic diviſio *ſubſtantiae* in ſpiritalem, & corpoream optima eſt; illegittima vero diviſio *viventis* in hominem, belluam, & plantam. Etenim ſpiritale & corporeum, ut Scholae ferunt, atque ut cuique conſtat ſubſtantiae genus immediate diſtribuunt: At ſub vivente proxime jacet *animal* una cum plantis, & ſub animali, veluti ſub genere proximo, homo, & bellua continentur.

Ita levi ut ajunt manu hiſce animadverſionibus a quolibet alta mente repoſitis, non ſuſpicor ulla ratione, quin perfectum ſecernendarum

(a) Lib. II. *de Finibus* Cap. 9.

darum Idearum genus ſibi familiare ſit redditurum; nec vereor etiam, quin ut diſtinċte Ideas compoſitas quaslibet in poſterum percipere poterit, ita ad majora capienda amplius idoneus ſit evaſurus.

SECTIO V.

De Idearum veritate & falſitate; de claritate & obſcuritate; ac de earundem diſtinctione & confuſione.

IN percipiendis Ideis maximopere intereſt quaſdam in illis conditiones, ſeu charactères ſecernere, ut quid verum, quid falſum ſit, quid clarum, quid obſcurum, quid demum diſtinctum, quid confuſum ſit cumprimis perſpectum habeamus; deinde non minus intereſſe arbitror appoſitos quoſdam ſancire Canones, quorum ductu cum recto in earum cognitione incedamus itinere, tum quae huic adverſantur tempeſtivè propulſemus.

§. I.

§. I.

IDearum itaque veritas eſt illius cum re cognita ad amuſſim explorata conformitas. *Verum eſt*, inquit Auguſtinus (a), quod ita ſe habet, *ut cognitori videtur*, *ſi velit*, *poſſitque cognoſcere*. Igitur è contrario illud erit *falſo cognitum*, quod reipſa ſecus eſt ac cognoſcenti videatur: Hinc vera erit Idea, ſi res hujuſmodi fuerit, cujuſmodi in idea noſtra relucet; erit vero falſa, ſi res non fuerit in ſe quemadmodum in idea nobis apparet. Quamobrem vera illa ex. gr. erit idea, quam coloratum corpus nobis exhibet; quod nimirum ita nobis rem ſe habere videatur; falſa autem illa, quam ſibi fortaſſe aliquis de corpore nullo donato colore (ſi fieri poſſet) comminiſceretur.

§. II.

CLara dicitur rei alicujus Idea, ſi id in ipſa re plane percipiatur, in quod acies mentis noſtrae tota dirigitur; at contra obſcura, *ſi nihil aut parum quod in ea attenditur appa-ret* (b) Obſcure nimirum res percipitur, cum neque omnino cognoſcitur evidentiae inſtar; neque omnino neſcitur ut plane illa ſit igno-

 ta.

(a) Lib. II. *Soliloq.* Cap. 5.
(b) S. Auguſt. *in Logica*.

ta. Sic clara eſt notio, in qua relucet triangulum, ut figura plana tribus lateribus undique terminata, treſque duntaxat angulos continens; quippe non ſolum id cognoſcimus, quod cognoſcendum a nobis eſt, ut triangulum percipere dicamur, verum etiam ea ratione illud percipimus, ut in ipſa cognitione mens plane quieſcat. Contra vero obſcura, Dei notio cenſenda eſt, quam modo habemus; quia neque Deum per eam ita attingimus, ut hac una cognitione mens noſtra contenta ſit, neque Deum penitus ignoramus.

§. III.

EA diſtincta dicitur notio rei, ſi ita nobis res ipſa in ea reluceat, ut a caeteris omnibus diſcernatur; dicitur vero confuſa ſi plura in illa diverſa nobis occurrant, quin ſingillatim expendamus. Sic diſtincta eſt cognitio, qua hominem percipimus ſub ratione animalis rationalis, cum caeteris ejus proprietatibus; confuſa vero, qua ipſum nonniſi ut animal attingimus: In illa quippe nobis occurrit homo, ut a caeteris diſcrepat; in hac vero, quatenus tantum cum aliis pluribus convenit, menti relucet. In quo ſane exemplo animadvertendum eſt ſatis per hoc ideam claram a diſtincta ſecerni, ſi uno intuitu hominem ſub animalis ratione tantum contemplemur, quin ſingulas

gulas ejus proprietates conſideremus; quemadmodum ſi pictura aliqua nobis ob oculos obverſetur, nec ſatis qualcumque ejuſdem picturae partes uno oculi ictu diſtinguamus: Hanc equidem picturam ab alia qualibet diſtinguimus, ac proinde claram hujuſce ideam habemus; non tamen diſtinctam, quam deinde acquirimus ſingulas picturae partes attentius contemplando. Exigit ergo diſtincta cognitio, ut diverſa rei cujuſpiam attributa diſtinctis notionibus percipiantur; atque adeo ut mente veluti ſeparentur a ſe mutuo, quae ſunt in objecto conjuncta. Itaque ut in rebus conſiderandis diſtinctionem perpetuo prae oculis habeamus, aſſequamurque illud quod ipſa perſpicuitate majus eſt, animadvertenda ſunt quae nonnullis praeceptionibus commendamus.

§. IV.

Unum duntaxat objectum, non plura ſimul contemplari debemus. Cum enim vis perceptiva non finita ſolum in nobis ſit, verum etiam tenebris undique circumfuſa, multiſque obſtaculis praepedita, rerum multitudine adeo illa opprimitur, ut ad eas diſtincte percipiendas impar prorſus ſit, & plane inepta. Profecto non magis poteſt mens noſtra, ut teſtatur Vir. Clariſs. (a) *pluribus rebus adeſ-*

 ſe

(a) Chauvin *Lexic. Phil.* Verbo *Perceptio*.

ſe per operationem ſimultaneam, quam poteſt corpus pluribus locis adaequatis ſimul adeſſe per coextenſionem. Saepius tamen in plura objecta fertur curſu adeo praecipiti, ut plura etiam ſimul attigiſſe videatur. Inde autem maxima oritur idearum obſcuritas. Quod enim vulgo uſurpatur de ſenſibus: Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus; *in mentem humanam etiam quadrat propter ejus finitudinem. Imo haec mentis plura objecta quaſi in tranſcurſu adſpicientis, inconſiderantia origo eſt confuſionis multiplicis. Tunc enim mens non ſatis diſtinguit varia objecta, quin plura in unum quaſi compingit, ipſa etiam corpora miſcet incorporeis.*

§. V.

IN rebus conſiderandis cavenda ſummo ſtudio eſt praecipitatio mentis. Neminem fugit, perperam ſemper a nobis percipi, quae curſim ſpectantur. Non enim tanta mentis noſtrae vis eſt, non ea illius virtus, atque potentia, ut omnia valeat, quemadmodum ſunt in ſe ipſis, uno ſimplici intuitu plane attingere: Unius Dei proprium eſt, ſicut illi ſoli competit mentis infinitas. Egregie proptera ſic olim ſcripſerat Tullius (a). *Omnes trahimur & ducimur ad cognitionis, & ſcientiae cupiditatem; in qua excellere pulchrum putamus; labi autem, & errare, neſcire, & decipi malum, & turpe ducimus.*

(a) Lib. I. de Offic. Cap. 6.

mus. In hoc genere hoc vitium notandum eſt, ne incognita pro cognitis ſupponamus, hiſque temere aſſentiamur. Quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad conſiderandas res, & tempus, & diligentiam. Id porro ut jucunde a nobis fiat; res quas conſiderare volumus proponendae nobiſmetipſis ſunt tamquam eximiae magnique momenti: Compertum quippe experientia cuique eſt, attentius nos ea contemplari, quae magni facimus. Plurimum quoque juvabit, illud nobis cordi alte infigere, ignorantiam maximam eſſe peccati poenam, nihilque ſapientia aut ſuavius eſſe, aut amabilius aut honorificentius denique reperiri.

§. VI.

CUm in earum rerum contemplatione verſari debemus; quae vel ſpiritales ſunt, vel ſenſuum praeſidiis, licet corporeae, percipi haud poſſunt; caveamus oportet, ne immaginem quandam in cerebro ſibi mens noſtra efformet, in qua perinde ac in ſpeculo res ipſas expendat, meditetur atque conſideret. Inde enim evenire puto, ut non ſolum rerum toto coelo diſſimilium proprietates, & attributa confundantur, verum etiam, ut illud earum uni plerumque tribuatur, quod ei prorſus repugnat.

§. VII.

PLurimum vero intereſt, rem quam contemplamur cum aliis jam cognitis conferre, eaſque comparare inter ſe, ſimul attente conſiderando, quid illis omnibus commune ſit, quidque ſingulorum proprium: Itaque ſi hominis ideam, quae ſub animantis rationalis conceptu ſpectanda ſe ſe exhibet, diſtincte cognoſcere cupimus, illam ex. gr. cum *animalis*, nec non cum *ratiocinationis* ideis fortaſſe a nobis jam perſpectis & cognitis ſimul conferre debemus: Hoc enim pacto, ſi rerum conſideratio peragatur, exacta diſtinctaque nobis erit ſingularum notio; quod nempe tunc diverſa earum attributa diſtinctis notionibus percipiuntur, idque nobis conſtabit aperte, per quod earum una a caeteris diſcrepat.

§. VIII.

CAvendum perinde ſumma cura & diligentia eſt, ne res quas contemplamur ideis noſtris ita accommodemus, ut perſuaſum nobis ſit, eas revera eſſe hujuſmodi, cujuſmodi in ipſis ideis eſſe videntur. Nulla certe major pernicies accidere poteſt Philoſophiae, quam quae ex hac fingendi licentia in eam derivatur: Cujus incommodi ſi veram afferre cauſam debea-

beamus, tota plerumque ex innumeris infantiae noſtrae praejudiciis accepta referenda eſt. Ita ex. gr. ex concepta Idea gravitatis, qua lapides, & gravia quaeque donantur, eam integram ſui deſcenſus fore cauſam intra nos metipſos ſtatuimus: Cum enim a pueris vidimus lapides aliaque ſimilia deorſum ferri, ut primum dimiſſa ſunt; quae vero ſunt reliqua hujuſce deſcenſus velut cauſae nos prorſus latuerint, illico cenſuimus, univerſa quae inferius labuntur vi propria atque intrinſeca, ut ajunt, deſcendere, quin non adeo facile ad alia pervia, quae totidem hujus impulſus cauſae ſint, attenderimus. Igitur haec atque his ſimilia plane innumera exuenda ſunt mentis noſtrae praejudicia; neque enim res ab ideis noſtris, ſed ideae a rebus ipſis dependent. Quod ſane vitium ut effugiamus, aut ne in ipſum incauti labamur, neceſſe eſt, res non ſolum attente, verum etiam, iterato ſaepius examine, penitus ſcrutari.

§. IX.

QUoniam Idearum confuſio atque obſcuritas ex eo potiſſimum oritur, quod rerum diſcrimen menti attendenti non ſatis pateat, & abſque certa lege, & ordine cuncta ſe ſe nobis offerant conſpicienda, danda eſt opera, ut perceptiones noſtras praecedat idonea quae-

dam

dam rerum diverſarum in certas claſſes diſtributio, eaque omnia ad certa veluti ſuprema capita revocentur, quae in una eademque re ſimul permixta menti conſideranti occurrunt. Enimvero ut recte animadvertit Quintilianus (a) *qui recte diviſerit nunquam poterit in rerum ordine errare:* Quocirca iterum conſulantur quae de Idearum diviſione ſuperius dicta ſunt.

SECTIO VI.

De Idearum ſignis: Qua ratione pro eorum varietate ſint uſurpanda; quibuſque cautionibus utendum ſit ne decipiamur.

INter ea, quae Ideas a nobis mente perceptas perſpicuas vel obſcuras, diſtinctas vel confuſas poſſunt efficere, principem jure arbitror obtinere locum ea, quae paſſim uſurpantur ſigna, quibus latentes animi cogitationes exprimuntur caeteriſque manifeſtantur. Inter plura autem quae ad id preſtandum idonea eſſe ſolent, ambiget nemo, quin vox reliquis praeſtare videatur: Illa ſiquidem nobis ſemper praeſto eſt, facile efformatur, inſi.

(a) Lib. XI. *Inſtit, Orat* Cap. 2.

infinitis prope modis, pro rerum idearumque inflectitur varietate, ſimulque a pluribus, etſi una ſit, excipi poteſt. *Hoc uno* propterea inquit Tullius (a), *præſtamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo ſenſa poſſumus*. Conſentaneum aeque ac neceſſarium igitur fore exiſtimabam, quemadmodum latentes ejuſmodi humanae mentis operationes dirigere, ita ad inſtituti rationem pertinere, ut ad eliminandam quampiam idearum confuſionem obſcuritatemque de vocibus, quibus cogitationes ipſae palam fiunt nonnulla explicarentur.

§. I.

VOx itaque arbitrarium eſt quoddam inter homines conſtitutum ſignum, cujus cum re ſignata ex pacto inito connexione, ea omnia mutuo explanamus animi ſenſa, quae vel articulato oris ſonitu, vel ſcriptura, ſymbolis, aliiſque id genus ſignis ſaepe produntur. Quoniam vero inter omnia ſymbola peculiare ſcripturae eſt, ut articulatae vocis vicem gerat, eamque certo quodam modo, veluti ob oculos ponat, nobiſque exhibeat, non immerito a pleriſque vox, permanens atque fixa ad poſteros & abſentes facile commeans ſcriptura nuncupatur. Jure proinde Tullius (b) *litterae* inquit,

(a) Lib. I. *de Oratore*.
(b) *Pro Sylla*.

inquit, *poſteritatis cauſa repertae ſunt, quae oblivioni ſubſidio eſſe poſſent*. De hac itaque praeſertim nobis in praeſentiarum erit agendum.

§. II.

NOn me latet uberem a nonnullis Dialecticis de vocibus ſeu nominibus tradi ſolere diviſionem. Cum vero animadverſione facta exiſtant plurima recte equidem diviſa, quae tamen non adeo huic arti noſtrae ſatis accomodata cernantur, ſed conſultius ad Grammatices Elementa referri poſſe viſa ſint; quocirca opportunius hic nomina quaelibet in ea duntaxat, quae *univoca*, *aequivoca*, & *analoga* dicuntur, partienda eſſe putavimus.

Univocum itaque eſt nomen, quod pluribus juxta eandem ſignificationem tribuitur. Sic terminus *homo* univoce pronunciatur de *Petro*, *Paulo*, & *Franciſco*; quia idem in omnibus ſignificat. Contra vero aequivocum, quod plane diverſa exprimit; ut vox *canis*, quatenus tam animal domeſticum quam marinum, & etiam ſydus quoddam ipſa una voce deſignatur. Hinc aequivocus perinde dicitur terminus, qui diverſa prorſus ſignificatione pluribus ſimul tribuitur; quemadmodum ſequentibus paragraphis compertum fiet. *Analogus* poſtremo terminus aut nomen ille vocatur, qui pluribus tribui ſolet, quatenus vel eandem rem diverſo

ſo modo, vel eodem modo res diverſas illa reſpiciunt. Is proptèrea duplex eſt; analogus ſcilicet analogia attributionis, & analogus analogia proportionis. Terminus analogus *analogia attributionis* ille eſt, qui tribuitur pluribus; quatenus Ideam ipſo nomine ſignificatam diverſimode reſpiciunt: Sic nomen *ſanum* ejuſmodi analogia dicitur *de homine*, *de medicina*, & *de ſudore*; dicitur namque de homine quatenus ſanitatis ſubjectum eſt, de medicina quatenus ſanitatis eſt cauſa; de ſudore vero quatenus ejuſdem eſt ſignum. Terminus autem analogus *analogia proportionis* vocatur ille, qui dicitur de pluribus, quatenus eandem ad diverſa plane, relationem habet. Ita nomen *Caput* analogice analogia proportionis ſupremae humani corporis parti, perinde ac montis vertici convenit; quia pars illa eodem modo in utroque inferiora cuncta intuetur.

§. III.

Quae itaque de vocibus tam univocis, quam analogis mox dicebamus, nihil profecto expendendum nobis modo relinquunt; ipſorum enim ea eſt natura, ut cuiquam bene cogitanti nulla ſuboriri poſſit in hiſce utendis confuſio. At ſi de aequivocis inſtituatur ſermo, hoc equidem opus, hic labor eſt: Tam multiplex ſiquidem ipſiſmet verbis ex hominum inſti-

ſtitutione ac verſatili quodam more adligata fuit Idearum varietas, ut pene rei noſtrae accomodari poſſit vulgare illud effatum: *Tot populi (ne capita tot dicam) tot ſententiae;* nec adeo facile, niſi cautionibus magnis adhibitis, ut propediem admonebimus, exiſtimandum ſit, nos poſſe tot verborum ambagibus occurrere.

Primo itaque ad inviſibiles ſubſtantias quod adtinet non omnes ſane, qui ex. gr. vocem hanc *Deus* adhibent (aut alia vocabula, ſive latini, ſeu alterius cujuſvis idiomatis, quae voci illi ſynonima, & aequipollentia vulgo creduntur) non inquam omnes eandem Ideam nomini illi aeque copulant, non omnes idem intelligunt: Alii quippe voce illa utuntur ad ſignificandam naturam neceſſario exiſtentem, incorpoream, numeris omnibus abſolutiſſimam, caeterarum rerum opificem, hominum parentem optimam, quae nunquam illis benefacere deſinat, quae reis reſipiſcentibus facile ignoſcat, nec libenter poenas infligat: Ita de Deo cogitant Sapientiores Viri, atque Orthodoxae Theologiae Praeceptores. At contra alii per eandem vocem illam *Deus* Naturam intelligunt omnium quidem praeſtantiſſimam, & maximam; at in iram pronam, de minimis etiam caeremoniis plurimum ſollicitam; vindictae cupidam, inexorabilem, ex arbitrio damnantem; hanc unquam vocem *Deus* ita adhibent ſuper-

ſtitioſi

ſtitioſi homines nec meliori Theologiae ſueti: Alii id quod *Deum* appellant, Naturam eſſe putant omnium ſummam, at corpore indutam, majeſtate gravi, & perſpicaciſſimis ſenſibus praeditam. Ita *Deum* concipiunt indocti homines paſſim. Philoſophi autem veteres non idem & ipſi intelligebant per eandem illam vocem *Deus*; aliud namque ſignificat apud Platonicos, & Pythagoricos, aliud penes Stoicos, aliud penes Epicureos. Quam diverſae vero adnecterentur ſignificationes Sancto illo Nomini mirum profecto, & pene indicibile, ſi ſcrutari non pigeat veterum Ethnicorum populorum opiniones valde admodum diſſonas ab illa Idea, quam nos de Natura Divina ejuſque attributis concipimus. Enimvero Dei vocabulo appellare conſueverant quicquid eſſet humana natura praeſtantius; Hinc Deum nuncupabant naturas etiam illas, quas ex alia prognatas eſſe putabant, ut conſtat ex initio Theogoniae Heſiodi, ex Ovidii Metamorphoſibus, nec non ex Apollodoro, libro primo; qui omnes vetuſtiſſimas Graecorum, & Romanorum Religiones, totamque Theologiam complectuntur. Quum autem in ea eſſent opinione, ut plures exiſterent naturae, humana noſtra excellentiores, & earum aliae praeſtantiores aliis & perfectiores eſſent; hinc & plures Deos eſſe dicebant, & eos diſparis ordinis, & dignitatis. Alias praeterea naturas exiſtere

dice.

dicebant hominibus longe quidem potentiores; at malas, at iniquas hominum hoſtes, quas etiam Deos vocabant & colebant, quas propitiari caedibus, triſtibuſque ſupplicationibus fidem facit Plutarchus (a). Qui vero Deus O. M. dicebatur, ex comuni quidem Graecorum, ac Romanorum mente, non illa erat ipſa Natura ſumma, aeterna, numeriſque omnibus abſolutiſſima, quam nos vere *Dei* vocabulo intelligimus; ſed Juppiter Deorum, atque hominum Rex, & Parens; quemadmodum, qui plane in Mythologia hoſpites non ſunt, omnes norunt. Hinc ſatis patere exiſtimo non omnes uti, nec uſos fuiſſe hac voce *Deus* ad unum idemque objectum ſignificandum.

Tanta in hoc uno Dei vocabulo diſcrepantia non minus animadvertenda occurrit in hiſce terminis, *Animus*, *Spiritus*, *mens humana*, *Angelus*, aliiſque ſimilibus, quibus ſuſtantiae inconſpicuae a natura divina diſtinctae exprimi a nobis ſolent: Haec quippe nomina, & ipſa non uno eodemque ſenſu intelligenda ſunt, quoties apud ſcriptores occurrant atque omnium ore terantur; quandoquidem non omnes idem ſentiunt, non idem opinantur (praeſertim ſi de veteribus Ethnicis Scriptoribus ſermo ſit) quemadmodum fuſius oſtendi poſſet, niſi nos nimios eſſe vereremur. Sufficiat ergo rem indigitaſſe, ne quis communi uſu harum vocum

(a) *De Superſtitione*.

vocum apud veteres & recentiores decipiatur, putans citra examen, univerſas illas uſurpantes in uno eodemque ſenſu accepiſſe.

Verum non modo Ideae hominum ad inconſpicuas ſubſtantias pertinentes ſatis diſpares, & variae invicem ſunt, ſed Ideae quas circa corporeas ſubſtantias tuentur non prorſus ſimiles in omnibus deprehenduntur; quamvis omnes iiſdem aut ſimilibus nominibus utantur ad varia corpora, qualia ea animo concipiunt declaranda. Patet id luculentiſſime ſatis obvio, & familiari experimento: Si enim plures homines, ut definiant rogentur, quid intelligant cum ſpecifica corporum nomina proferunt; ex. gr. quid nimirum mente teneant per haſce voces *Aurum*, *Adamas*, *Magnes*, *Corallum*, *Lilium*, *Quercus*, *Equus &c.* manifeſto quiſque ſtatim dignoſcit, eos ſaepe ſaepius in nominibus illis definiendis non bene invicem convenire. Alii plures & perfectiores Ideas, alii pauciores & rudiores; Alii denique varii varias complectuntur. Cum vero magna hic dicendi ſeges ſe ſe offerret, ſi cuncta ſingillatim exemplis perſequi, & confirmare ſtatuerem; cum brevitati conſulturus, tum quod in praeceptis hac ſuper re ſanciendis, monitiſque propediem tradendis ſermonem identidem rediturum confidam, ad alia proinde properare curabo.

§. IV.

ANimadvertendum praeterea ducimus vocabula, & loquutiones, quae a nobis metaphorico, & figurato ſenſu uſurpantur, non ſemper indiſcriminatim, citraque examen putandum eſſe, eas a caeteris quoque hominibus tropico, ac figurato ſenſu uſurpari ubique temporum, & locorum; ſi de iis praeſertim ſermo ſit, quae non obviae cuique ſint, ſed aut incoſpicuae, & inſenſibiles, aut obſcurae ſuapte natura, & varietati opinionum obnoxiae. Quid tropicae, & metaphoricae ſint loquutiones docent Rethores, & nemo ignorat tum translate, & metaphorice nos loqui, cum voces, quae ex primigenia inſtitutione linguae, ad aliquid proprie ſignificandum inventae ſunt & conſtitutae, ad alia minus proprie exprimenda transferuntur: Ita ex. gr. *perturbari* proprie dicuntur fluida corpora, quorum conſtituentes particulae ſus deque agitantur; translate vero, & methaphorice animus *perturbari*, *perturbatuſque* dicitur, cum in ipſo affectus aliquis vividior excitatur, ut odium, ira, timor &c. Eadem ratione *riſus* proprie hominibus competit, & de hominibus dicitur; metaphorice vero de *ſereno aere*, & *pratis* verno tempore. Quum tropice ergo quis loquitur de rebus ſenſui obviis, ſtatim metaphora per ſe ſe appa-

ret;

ret; at ex adverſo, cum ſermo eſt de rebus inconſpicuis, obſcuris, ſenſibuſque non obverſantibus non ſtatim innoteſcit, an qui loquitur metaphorice, vel potius proprie (cum praeſertim veteres legimus ſcriptores) ipſe verba, & ſcriptiones fundat.

Rurſus non continuo apparet, & prima, ut ajunt fronte, *an ſpiritus irae*, *ſpiritus zelotypiae*, *ſpiritus carnis*, aliaeque id genus loquutiones, quae frequenter cuipiam ſacras litteras legenti occurrunt, metaphoricae ſint, & tantum varios animi affectus deſignent; *iram nempe*, *zelum*, *libidinem &c.* an potius ſpiritus quoſdam innuant, ſeu ſubſtantias quaſdam ex ſpirituum genere, affectus illos animi excitantes, foventeſque. Niſi ergo aliunde ſacrorum ſcriptorum mens retegatur, certo, tutoque decerni non poteſt, quid ipſi ſenſerint, quum loquutiones illas adhibuerunt, atque adeo an penes ipſos metaphoricae ſint, an potius obvio, litteralique ſenſu ſint intelligendae.

Memoratis loquutionibus adcenſendae ſunt, quae apud Philoſophos veteres occurrunt de Deo ſermocinantes humano quodam more, Eique tribuentes, quae hominibus conveniunt. Niſi enim aliunde conſtet hoſce reipſa anthropomorphitas, fuiſſe (eos nimirum Deo tribuiſſe quaedam corporeae naturae hominum conſentanea) loquutiones illas proprio ſenſu uſurpatas ab iis fuiſſe decerni tuto non poteſt,

nec quidem oppoſitum conſtitui: Enimvero in ipſiſmet Divinis Bibliis de Deo Opt. Max., quaedam praedicantur, quae ſi obvia, propriaque ſignificatione intelligerentur, Deum hominibus ſimilem in pluribus eſſe ſacri ſcriptores docuiſſe viderentur. Et quidem Judaeorum plurimi anthropomorphitae jamdudum fuerunt, hujuſmodi effatis ſcripturalibus innixi, quae metaphorica haudquaquam putarunt; quum tamen tropica, & figurata re ipſa dicta fuiſſe univerſi interpretes unanimi ſenſu, ac diſertiſſimis verbis demonſtrent.

Ne igitur in hiſce intelligendis vocibus decipiamur; quum nimirum in ancipiti deliberatione verſamur, an veterum ſcriptorum verba metaphorica ſint, nec ne, quum de rebus loquuntur, quae ſenſibus nullatenus patent, quaeque obſcura ſunt, & opinionum varietati obnoxia; haec cautio adhibenda eſt; ſcilicet quam diligentiſſime inquirendum aliunde eſt, quid nam de iis rebus quae legunt, ipſi ſenſerint. Si autem ejuſmodi cautione impenſa id certo nihilominus tutoque perſpici non poſſit, neque ex integro auctoris contextu, neque aliunde, tunc cohibendum judicium eſt de ipſorum ſcriptorum mente, nulla ferenda ſententia eſt; nec ideo putandum eſt, eas loquutiones metaphoricas eſſe, ac translatitias, quia a nobis nonniſi tropice adhibentur.

§. V.

§. V.

NEquit profecto verborum ſeu vocum aequivocationi, & obſcuritati ſatis occurri, neque multiplex loquutionum acceptio, quae vel loquendo vel legendo nobis patere poſſunt, abſque ulla, vel levi confuſione percipi, niſi eorumdem vocabulorum vim poteſtatemque exploratam atque definitam habeamus. Incredibile porro eſt quam cito evaneſcant quaecunque perſpicuam Idearum aſſequutionem obnubilare poterant, ut primum definitione utimur, qua in apertum, determinatumque ſenſum eas cohibemus voces, quae per ſe, utpote ambiguae, & indifferentes uno hominum arbitrio ad plura indicanda confictae fuerant, & uſurpatae. Recte proinde, qui nihil antiquius, aut acceptius habent inter ſcribendum colloquendumque, quam res per nomina ſignificatas, nitida diſtinctaque perceptione intueri; ubi confuſum, & anceps aliquod perſentiunt vocabulum, illud confeſtim definiunt, explanant, atque ſe in determinata illa una termini acceptione loqui diſerte teſtantur. Quod praeſertim Geometras, eoſque qui mathematica methodo delectantur paſſim praeſtare conſtat; a qua etiam perutili & tam neceſſaria conſuetudine unumquemque decet bene cogitantem nullatenus abhorrere.

§. VI.

COmmodum ſane eſt ambigua nomina explicare; at non idcirco exiſtimandum eſt univerſa plane fore definienda, quod ea fortaſſe a pluribus ad diverſa prorſus rei ſignificatae exprimenda recipiantur: Hoc enim ſaepe inutile foret, & factu impoſſibile omnino: Inutile inquam; quia cum vulgo conceptae de rebus Ideae habeantur diſtinctae, omneſque homines eodem utentes Idiomate, ut primum ejuſmodi audiunt vocabula eaſdemmet aeque Ideas efforment; non equidem video qua nam ratione definitiones cumulare neceſſe ſit. Atque ob hoc, vel maxime cavendum in rebus obviis admodum, atque ſimplicibus, quarum omnes homines, natura veluti duce, ad unum eundemque ſenſum intelligendum feruntur. Factu inſuper impoſſibilis cenſeri debet frequens ejuſmodi univerſarum vocum definitio, quod nimirum ad nomen aliquod in determinata Idea ſtatuendum aliis vocabulis Ideam, cui illud nomen adnectendum eſt, deſignantibus opus neceſſario habemus: Ex quo proinde conſequitur etiam, haſce perinde voces, ut explanentur, poſtulare; atque ita uſque in infinitum.

Quid plura? Ipſa nomina, quae primigenia appellantur, niſi in iis enucleandis majorem augere volumus confuſionem definiri non

poſ-

poſſunt. Quamobrem attente curare debemus, ne, quemadmodum definitionis praeſidio in aequivocis terminis, obſcuritatem quampiam diluere conamur, ita in eandem ex ſupervacanea multarum definitionum opera & ſtudio citius labamur.

§. VII.

Si alicujus definiendi nominis neceſſitas comperiatur urgeatque, attendendum eſt, ut juxta receptum verborum uſum definitionem aggrediamur, neque notiones ab uſitatis vocibus alienas uſurpemus, quae fortaſſe etiam nativae eorum etymologiae adverſentur. Ut ſi ex. gr. definiretur Parallelogramum figura tribus lineis, tribuſque angulis terminata illico definitio conderetur, quae humanae menti aliis vocibus aſſuetae nimium incommodaret. Quis enim moleſte non ſentiat poſtquam ſemel voci Ideam affixit aliquam, illa abdicata recentem aliam memoria recondere? Quare facilius puto homines induci poſſe, ut ad figuram triangularem deſignandam nullius ſignificationis vocabulo utantur aliquo, quam ut nomen hoc Parallelogramum exuant Idea figurae, cujus oppoſita latera paralella ſunt, induantque ſignificatione alterius figurae, cujus latera paralella ullo unquam pacto eſſe nequeunt.

§. VIII.

AD intemperantiam ergo definitionum coercendam, ac ne improbo plane labore miſeri diſputantes, aut inter ſe colloquentes, tum propter intollerabilem eorum congeriem, tum propter moleſtiſſimas de nomine lites ſemetipſos, ut ſaepe evenire adſolet, perdant, conſentaneum duximus certos ſtatuere fines, quos ultra, vel citra rectus nequeat definitionum uſus conſiſtere.

Atque definienda cum primis ea ſunt vocabula, quae partim inopia linguarum, partim negligentia, & culpa ſcriptorum ambigua eſſe deteximus. Cujus equidem canonis ratio luculenter ſtatim ſe prodit; quod nimirum facile fuiſſe coniiciamus, exilis, ac inopis alicujus Idiomatis ſcriptores ſaepe, ex anguſtia, ut diverſa animi ſenſa panderent ad eadem uſurpanda nomina fuiſſe compulſos. Cur autem aliquando ſcriptorum culpa id contigerit, nec non, qua methodo huic nobis ſit vitio occurrendum propediem conſtabit.

§. IX.

ATtente pervidere neceſſe eſt, num voces loquutioneſque a primaeva ſignificatione, quam obtinebant, tractu temporis exciderint,

&

& in aliam adhiberi poſterioribus temporibus caeperint. Enim vero; ut rem aliquot exemplis illuſtremus deſumtis ex nominibus, quibus apud veteres virtutes, & vitia ſignificabantur; exploratum eſt, nos modo iiſdem vocibus uti conſueſcere, ut res, ſeu Ideas plane ab illis diſcrepantes exponamus: Attamen ut ex hiſtoriis opinionum, morum, & Religionum hominum liquido apparet, vocabula ejuſmodi, *Vitium*, *Virtus*, *Pietas*, *Sanctitas*, *Juſtitia*, *Lex*, *Obligatio*, *Amor*, *Ira*, aliaque id genus innumera; non aeque eandem, quae apud veteres, penes Lexicographos recentes noſtros vim obtinere: Etenim non eadem omnibus pia, aut impia, juſta aequa, aut iniuſta & iniqua, non eadem omnibus vitia, aut virtutes laude, aut vituperio digna fuiſſe ſcriptis proditum eſt vulgatiſſimis. Lacedaemoniis ex. gr. id unum honeſtum plane, & juſtum erat, quod eorum Patriae conducebat, ut patet ex Plutarcho (a) aliiſque teſtimoniis brevitatis ergo praetermiſſis: Romanorum Juſtitia longe aberat & ipſa ab illa aequitatis Idea, quam nobis divinae litterae tradunt: *Juſtitiae primum munus eſt*, inquit Tullius (b) *ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria*: Poterat ergo homo Romano more juſtus privatis opibus per ſeſe illatis ulciſci injuriis, ut ex eorum etiam Hiſtoriis eruitur manifeſto. Rur-

(a) *In Alcibiade*.
(b) *Offic*. Lib. I. Cap. 27.

Rurſus juſtitiae nihil officere putabant Romani poſt indictum per Feciales bellum hoſtiles agros invadere, omnia ferro, & incendiis vaſtare, pro lubito, non pro modulo, & ad pondus injuriae a P. R. acceptae; que ſane nunquam tam levis a Romanis habebatur, ut non eſſet armis, in vaſtiſſimarum etiam Provinciarum incolas, caeteroqui inſontes vindicanda. A pietate praeterea, & miſericordia non arbitrabantur alienos Gladiatorum ludos, quibus captivos per riſum, & populi voluptatem damnabant. Caede igitur innocentum hominum gaudere, feris innocuos laniandos tradere, & promiſcuis hominum vulneribus delectari, nec impium, nec immane penes Romanos erat; imo hujuſmodi ludi, ut extat apud Tullium (a) magna frequentia, & omnigena hominum varietate celebrabantur, nec quis adeo immitis, aut pietatis, & miſerationis expers vulgo habebatur.

Quam autem Gladiatorii ludi, & ſpectacula id genus ab ea diſcrepent pietatis Idea, ab inſigni miſericordiae Evangelicae perſuaſione, quam Criſtiani a novo praeſertim hauriunt Teſtamento, nemo novit; niſi cui ignota prorſus ſit Chriſtiana religio: Nullus eſt certe qui de Chriſtiana Fide aut egerit, aut modo ſermonem habeat, qui illa tamquam inhoneſta & impia magno animi aeſtu, contentione, & zelo aeque non vituperet.

(a) Orat. *pro Publio Sextio*.

Denique *Comitatis*, *Vrbanitatis*, *Humanitatis* vocabula, quae nobis bene inſtitutis ad virtutis honeſtatiſque ideam excitandam quum apte, tum velut aequipollentia & omologa modo proponuntur; non eadem certe ſunt quae apud vetuſtas Gentes, non eadem apud omnes aetates idem prorſus ſonant: Quae enim a nobis laudabilia dicuntur virtutum officia ab aliis damnabantur olim, vitioque vertebantur. Ita Venones abiecti animi dicebatur Parthis, ut animadvertit Tacitus (a), qui Romanis, penes quos fuerat educatus, humanus urbanuſque fuiſſet appellatus; quemadmodum apud recentes noſtros Lexicographos ac Scriptores, qui commemoratis decorantur titulis tanquam virtute praediti exiſtimantur. Plura alia omittimus exempla; Satis quippe manifeſto dignoſcitur, eadem ſaepe vocabula, ſeu voces pro aequipollentibus quandoque haberi poſſe, per quas virtutes aut vitia exprimi ſoleant, quae revera non idem omnino apud omnes cujuſvis gentis & temporis ſignificant; ex quo proinde ſatis ſuperque colligitur, facile eſſe a vero nos aberrare in veteribus Scriptoribus legendis, niſi definitionis aut explicationis adhibito praecepto omnimodam depellamus confuſionem.

§. X.

(a) *Annalium* Lib. II. Cap. 2.

§. X.

IN comperto item ſenſu locanda ſunt ea vocabula, quibus quamplurimi Scriptores vel clarius vel obſcurius moribus, praxi & opinionibus ſui temporis ſaepe alludunt; qui certe mores, quae praxis & opiniones, niſi aliunde ſint praecognitae, ex uſurpatis vocibus nonniſi Idearum confuſio neceſſario debet oriri. Liquido hoc confirmetur exemplo ex veterum hiſtoriis haſce voces proponendo *Munitum Oppidum* quemadmodum apud Julium Caeſarem (a) fit mentio. Iis equidem utimur ſemper vocabulis, quibus ſignificemur domorum multitudinem, ubi ſingulis aditus pateat, miniſterio viarum, quaeque communibus moeniis, & plerumque foſſa ſint circumclauſae: At ſi quis voces hujuſmodi in hiſtoriis ex. gr. veterum Britannorum ex noſtra praxi, & uſu intelligeret, a vero plurimum ſane declinaret.

Voces quoque illae *Navis*, *Triremis*, aliaeque id generis, quaeque ipſis aequipollentes vulgo a Lexicographis conſtituuntur ejuſdem ſunt naturae. Qui enim ſibi navium & Triremium Ideas ex conſuetudinis noſtrae obſervatione efformarunt, ſi juxta haſce ideas, & ad uſus noſtri normam voces illas, ſimileſve apud veteres Scriptores occurrentes acciperent, dubio

(a) Lib. V. Cap. 21. *De Bello Gallico*.

bio equidem procul deciperentur, & a veterum mente aberrarent; neque enim *Naves* veterum Graecorum ex. gr. & Romanorum eadem ratione conſtitutas conformataſque fuiſſe arbitrandum eſt: In uſu ſiquidem vigebant apud Antiquos eos Populos naves onerariae, bellicae, nec non actuariae, ſive celeriores expeditioreſque: Erant quaedam, quae velis tantum, quae remis ſolummodo, & quae velis remiſque ſimul agebantur; quae tametſi navium genera tantundem apud nos ſint, ipſa tamen cum noſtris non cohaerere compertum eſt. Occurrunt etiam ſepe apud vetuſtos hiſtoricos hujuſmodi locutiones, *Navale praelium*, *inſtructae militum acies*, *militaris diſciplina*, aliaeque id genus pene innumerae; at non prorſus ex conſuetudine noſtra, noſtrorumque temporum more dicta illa intelligenda ſunt; immo apud nullum ex veteribus ad noſtrorum temporum ſtylum ea licet interpretari: Etenim a veteribus terra marique non gerebantur praelia ea plane, quae penes nos in more eſt poſita, ratione; non eadem bellandi ars, non eadem diſciplina ſervabatur, ut facile colligere fas eſt ex iis quae Juſtus Lipſius *de Militia Romanorum pedeſtri*, quae Joannes Schefferus & Marchus Meibomius *de Militia Navali*, aliique tradiderunt.

Non abſimilia perinde dicenda eſſe arbitramur de pluribus vocabulis, & loquutionibus ad indumenta ſignificanda pertinentibus, cujuſmo-

juſmodi ex. gr. hae voces ſunt *Pallium*, *Toga Pileum*, *calceus &c.* ſaepe enim veteres & recentiores iiſdem aut aliis pro omologis habitis locutionibus utuntur ad plura hominum indumenta deſignanda; licet ſatis ſit diſcriminis in indumentis ipſis apud varias gentes, variaque tempora, ſi invicem comparentur; ut oſtendunt Balduinus *de Calceo Antiquo*, Julius Nigronius *de Caliga veterum* & Octavius Ferrarius vir eruditiſſimus *de Re Veſtiaria*; in quibus frequentia occurrunt exempla, quae demonſtrant ſaepe antiquos ea vocabula adhibuiſſe & effata ad veſtimenta innuenda, quibus ex frequenti more hodie etiam Scriptores utuntur; quamvis indumenta, quae per hujuſmodi voces intelligimus ſatis differant ab iis, quae a veteribus deſignabantur quum voces illas uſurpabant.

Exiſtunt praetera aliae plurimae voces ad artefacta exprimenda a veteribus uſitatae, quas nos perinde adhibemus, quamvis non idem prorſus per illas indigitemus, quod olim vetuſti Scriptores per eaſdem intelligebant. Ex harum numero ſunt ex. gr. *Ara*, *Altare*, *Theatrum*, *Scena*. Altaria quippe apud veteres Aris imponebantur, ut ex Prudentio licet colligere: Ex quo infertur liquido Altaris & Arae nomina non idipſum olim ſignificaſſe, ac hodie penes nos vim habent; neque enim id quod Altare a nobis dicitur quicquam eſt Aris ſuperpoſitum; immo hae voces *Ara*, *&* *Altare* hodie

die indiſcriminatim uſurpantur. Altaria etiam Judaeorum ſatis diſcrepabant a noſtris; tum illud, quod Altare incenſi dicebatur, tum quod holocauſtorum nomine appellabatur; quorum prius deſcribit Moſes (a) & alterum enarrat Ezechiel (b). Theatra autem, & Scaenas veterum non idem prorſus fuiſſe ac id quod a nobis ex uſitata praxi Scaena, & *Theatrum* nuncupatur, ſatis apparet ex Plinio (c) & ex Galliachii erudito Opere de *Ludis veterum Scaenicis*. Exinde ergo ſatis aperte conſtare arbitror perperam & confuſe admodum ex noſtrorum temporum uſu, & ex ideis noſtris memoratas voces, aut eis ſimiles intelligi poſſe, niſi praeconſtitutas praedefinitaſque ſtatuerimus Ideas, tum quae a veteribus iis fuerunt adnexae, tum quibus a nobis diverſimode alligantur.

Alia innumera ferme Silentio praeterimus exempla, quod ſatis ſuperque ad demonſtrandam ex hoc etiam capite definitionis neceſſitatem dictum a nobis fuiſſe perſpiciamus.

§. XI.

NEceſſarium aeque arbitror animadvertere caute, atque ad confuſionem quampiam eliminandam, plurima definire vocabula, quae apud varios Scriptores relativum tantum ſenſum

(a) *Lev.* Cap. 30. Verſ. 12. & 34.
(b) Cap. 43.
(c) Lib. 36. Cap. 15.

ſum continent; nec non quaedam enucleare rebus aut hominibus attributa, quae relate ad aliquid duntaxat vera ſunt: Ejuſmodi loquutiones uno verbo ad mentem Auctorum citra erroris periculum percipi nequeunt, niſi prius in comperto locetur relate ad quid ita loquantur; ſeu quorſum & quidnam reſpiciant Auctores aut nobiſcum colloquentes, dum vocabula illa ſolent adhibere. Id genus voces univerſa illa ſunt nomina, quibus homines indeterminatam magnitudinem, aut exiguitatem ſignificant alicujus rei, qualiſcumque ſit; ut *onus grave*, *longa via*, *mons ingens*, *profunda vallis*, *opus difficile &c.* Ejuſdem etiam generis ſunt; nempe inter voces relativas accenſenda ſunt vocabula omnia & loquutiones, quibus attributa laudis aut vituperii, contemptus aut exiſtimationis promuntur; ut *eximia virtus*, *excellens ingenium*, *vaſta eruditio*, *homo ſanctiſſimus*, *innocentiſſimus*, *juſtiſſimus*, *turpis aut inhoneſta actio &c.* quae quidem voces, aliaeque hujuſmodi univerſae utique non ubique temporum, & locorum, nec apud omnes idem prorſus ſignificant.

Et ſane primum ad voces quod attinet, quibus magnitudo aut exiguitas declaratur; eadem profecto & conſtans non eſt apud omnes, nec ubique earum ſignificatio; namque relate ad aliquid ingentia ſunt, relate ad aliud exigua: Ita quod grave eſt onus puero, feminae, infirmo; leve eſt viro firmis lateribus, & bona

vale-

valetudine gaudenti. Via illa item, quae delicatioribus aſpera eſt & incommoda, ſatis commoda eſt & plana veluti ruſticis laboriſque patientibus hominibus ipſa videtur: Opus quoque, quod inexperto arduum eſt, facile eſt perito. Urbs, mons, fluvius, regio, quae ingens illi ſe ſe offert, qui majores non novit, haud ingens vel etiam parva iis certe videtur, qui ampliores viderunt: Exercitus ex. gr. qui a Graecis ingentes dicebantur, apud Perſas tenuiſſimi dicti fuiſſent. At ab exemplis temperare hac ſuper re volumus, quod res per ſe ſe ſtatim perſpicua dignoſcitur; tum ne effuſior quam par eſt creſcat oratio.

Ad voces autem quod ſpectat laudis aut vituperii, exiſtimationis aut contemptus, manifeſtum eſt eorum relativas duntaxat eſſe Ideas, qui vel commendant vel aſpernantur: Hinc quae ab aliquo laudari audiuntur aut ſcriptis leguntur, ab alio vero probris & vituperio digna affirmantur; vocabula nimirum illa nullo pacto pendenda ſunt, niſi juxta virtutum aut vitiorum Ideas, quas de illis, qui ſermonem habent, efformant. Turpe haudquaquam erat ex. gr. penes Lacedaemonios cum induſtria, & ſagacitate furari; honeſtum erat Athenienſibus ſorores germanas ſibi connubio ſociare; laudi in Graecia ducebatur adoleſcentulis, quamplurimos habere amatores: In Scaenam vero prodire nemini apud Graecos, ne nobilibus quidem

dem faeminis, etſi mercede conductis turpitudini vertebatur; a quibus nihilominus penes Romanos aliaſque Gentes, univerſi qui non abſtinebant, nec honeſti, nec probi, nec turpitudinis expertes dici poterant, nec a nobis equidem etiamnum appellantur. Attamen honeſtum erat ex adverſo apud Romanos, alioſque populos, quemadmodum & apud nos non indecorum exiſtimatur, uxores in convivium ducere; nec turpe olim & inhoneſtum a Romanis Matronis habebatur; ſicuti nec noſtris faeminis pudori vertitur, primas aedium partes occupare, atque in celebritate verſari: At inhoneſtatis, & turpitudinis dedecore notabantur penes Graecos uxores, quae in conviviis accubuiſſent, niſi inter propinquiores celebrarentur, quaeque in penitioribus aedium cubiculis non verſabantur; quo adcedere nemo poterat, niſi proxima conſanguinitate conjunctus, ut refert Cornelius Nepos *de Excellentibus Graecorum Imperatoribus in Praefatione ad Atticum*; & quemadmodum Graeca ubique enarrat Hiſtoria.

Denique hae voces *eruditus*, *doctus*, *ſapiens &c.* aliud in ore hominis ſapientioris, aliud in ore indoctioris ſonant; aliud penes homines unius aetatis, & gentis, aliud penes alias gentes alioque tempore: Quae enim eruditio, & ſcientia admiranda eſt & praeclara relate ad aliquod tempus, aut homini plane imperi-

perito; eadem vulgaris eſt, exilis, & falſa homini vere ſapienti & excultiſſimo; aut diverſo tempore expenſa, & ad meliorem trutinam revocata. Atque haec fuſius dicta eſſe voluimus, ut inde facilis nobis patere poſſet aditus quo ad diſtinctas rerum Ideas aſſequendas pertingeremus, ubi vocabula memorata aut illis ſimilia non abſolutum ſed relativum duntaxat ſenſum ea complecti poſſe perſpiceremus.

§. XII.

QUi diverſa ſectantur placita, variaſque fovent opiniones, ii etiam in eorum vocabulis aequivoci ſaepe deteguntur; impoſſibile namque eſt, partibus ſtudentes iiſdem locutionibus ac terminis, Ideas plane diſpares, totoque, ut ajunt, Caelo diſcrepantes haudquaquam aliquando conjungere Quamobrem abſque examine aut expreſſa definitione nullatenus dimittendi ſunt qui variis ex. gr. Phyſicorum Sectis nomen dederunt, qui varias hypotheſes amplexi ſunt ad naturae explicanda phaenomena: Utuntur quippe ipſi iiſdem vocibus; at diverſa plane inter ſe ratione de corporibus cogitant, varia in ipſis imaginantur, atque adeo varias corporearum ſubſtantiarum Ideas animo complectuntur; adeo ut ſi illis definienda eſſent ſpecifica corporum nomina, ſatis diſpari ratione ea definirent.

Ita ſi ſcholaſticus rogetur Philoſophus ut vocem hanc *Lux* definiat, continuo ſe per vocem illam intelligere teſtatur qualitatem quandam conſpicuam ſolis, aſtrorum, ignis &c. a materia prorſus ſecretam, atque a ſubſtantiali corporum lucidorum natura ſeu forma diſtinctam, quae in uno eodemque inſtanti a corpore lucido ad longinqua uſque corpora propagatur. Si vero interrogetur Carteſianus, nulla interpoſita mora reſpondebit: Lux eſt primi Elementi materies, ſeu aetherea quaedam materia particulis quam tenuiſſimis & homogeneis conſtans, omnia pervadens, ubique ſemper praeſens, & a corporibus lucidis compreſſa, & in tremulum motum concitata. Nevvtonianus ex adverſo rogatus, lucem ita deſcribit: Materies fluidiſſima & tenuiſſima a corporibus lucidis emanans, ſimulque rapidiſſima; at quae ſucceſſivo propagatur curſu, & aliquid in percurrendis ſpatiis temporis inſumens, radiis heterogeneis conſtans, ſeu ſeriebus quibuſdam inſenſilium particularum diſparis naturae; quae ſeries, qui radii non eadem omnes refrangibilitate, nec eadem reflexibilitate donantur. Haec pro ſexcentis exemplis, quae opportune afferri poſſint dicta ſint; ut inde pateat quantum homini diſtinctas Ideas percipere cupienti neceſſarium ſit eadem vocabula juxta varias acceptiones, ac pro diverſis hominum ſtudiis, habere explorata & definita: Hinc temere & citra

citra praeviam nominum, quae varie uſurpantur, explicationem arbitrari debet nemo, eandem illam poteſtatem & ſignificationem, quam ipſa corporum vocibus tribuit; eandem illam, inquam, nullatenus diſſimilem a ceteris quoque hominibus, dum eas adhibent, iiſdem vocibus accomodari.

§. XIII.

INter voces illas autem, quae aliquam legenti ac cum caeteris colloquenti ſtuporem quendam mentis parere ſolent & aliquantulum confuſionis ingerere, & illae quoque recenſendae ſunt nomenclaturae, uſurpatae olim a Scriptoribus praeſertim ſacris in eodemet aequidem ſenſu, quo nos utimur modo; verum a veteribus honeſte & pudice adhibitae fuere, quod tum temporis nullam mentibus Ideam inverecundam obiicerent; nunc autem tanquam impudicae & obſcaenae caſtis delicatioribuſque auribus inſonarent. Univerſa ejus generis ſunt vocabula turpia dictu, quae paſſim in Scriptoribus Biblicis occurrunt, nec non quae in SS. Patrum Operibus frequentius legenti ſe ſe offerunt. Hujuſce ergo diſcriminis rationem vetera tempora inter & noſtra apertiſſime perſpectam habeamus oportet; ne legendo fortaſſe haereamus, ac ne ſuſpicemur Sanctiſſimos Scriptores, vel aliam plane diverſam iis nominibus

 ideam

ideam alligaſſe, vel quod deterius eſt, turpiſſimis nomenclaturis fuiſſe delectatos. Ex eo ergo hujuſmodi diſcrimen ortum nimirum habere jure exiſtimo, quod homines in effingendis pro lubito Ideis mobiles atque verſatiles, praeter primigenias Ideas vocabulis affixas, alias iiſdem praeterea *ſecundarias*, ut ſcholae loquuntur, adjunxerint. Sic *Adulterium*, *Inceſtus*, *Crimen peſſimum* nunc temporis nomina obſcaena non ſunt, licet maxime turpia flagitia ſignificent; quod nimirum illa duntaxat exhibeantur ſecundaria obſcaenitatis Idea prorſus deſtituta; cum ex adverſo aliae ſint voces aut loquutiones ſynonimae, quae propter ſuperadditam quandam effrontis impudentiae Ideam, nonniſi ingenti cum legentium ſeu auditorum horrore valeant uſurpari. Quamobrem nihil mirum videri debet, Scriptores Sacros vocabula adhibuiſſe quaedam, quae modo impuriſſima vulgo cenſentur; quod ſcilicet eorum aevo nihil ſuperadditum obviae ſignificationi complecterentur, ac proinde piis auribus plane indignum. Quod equidem, cum decurrente multorum ſaeculorum ad nos uſque ſpatio ex honeſto turpe factum fuerit, admirari exinde imperiti non ſatis deſinunt, ac de Sanctorum modeſtia adhuc fortaſſe ſuſpicari; aut ſaltem in ancipiti Idearum veritate verſari. Quapropter Doctores Hebraei coacti fuere alicubi alia nomina Bibliorum margini apponere a legentibus pronun-

nuncianda, loco illorum, quae Textui interſeruntur: Quod ideo factum eſt, quod illa nomina quum primum fuere a Prophetis uſurpata nondum evaſerant inverecunda; at poſtmodum primaeva Idea ex mala hominum conſuetudine pene obliterata, aliaque impudenti & effronti adſcita, illa eadem nomina turpia facta ſunt: Ne ergo obſcaena hac idea legentium pecelleretur mens, jure meritoque Rabbini voluere, ut alia marginalia ſufficerentur vocabula; ipſo tamen Textu ſacro integro & nullatenus eraſo aut immutato. Haec itaque ſatis ad paragraphi hujus illuſtrationem confirmationemque dicta eſſe arbitramur.

§. XIV.

DEfinienda, ac detegenda ſunt tandem (ut paucis hanc tractationem abſolvam) quaecunque a ſcriptoribus vocabula ſive loquutiones peculiari inuſitatoque ſenſu uſurpata fuiſſe, & a communi ſignificatione detorta non ignoramus; quaecunque item ſcriptorum aequivoca & obſcura loca propter ſtructuram Orationis, conſtructionemve loquutionum; ac demum prae oculis perſpecta funditusque cognita habenda ſunt quaecunque maximam in aſſequendis claris diſtinctiſque Ideis difficultatem, propter rethoricum ſtylum ſeu figuratas & translatitias loquutiones parere poſſent; a quibus

perpauci ſatis abſtinent, aut ſine obſcuritate & aequivocatione non ſaepe ſaepius utuntur.

Hiſce itaque ſtudioſiſſime ſervatis nihil ſane futurum nobis exiſtimo, quod non aeque perſpicuum, plene diſtinctum, ac quocunque perceptionis nubilo expers omnino fauſto ſimus aſſequuturi. Ita quippe comparati & inſtructi recto ſtatim progrediemur itinere, ut ad perfectum rerum bene perceptarum judicium, de quo mox ſumus acturi, tandem aliquando pertingamus.

CAPUT SECUNDUM.

De recto judicio earum rerum, quas Idearum lumine comprehenſas habemus.

SECTIO PRIMA.

SAtis ſuperque comparatis de recta Idearum perceptione legibus, aequus ordo expoſcit, ut quae ſuapte natura conſequuntur; rerum ſcilicet perceptarum *judicium* attexamus. Enimvero noſtrum elucubratum hucuſque opus ſupervacaneum haberi plane neceſſe eſſet, niſi de ſecunda, & ipſa quidem praeſtantiori, mentis noſtrae operatione perinde accurate modo ageremus: Extra hominum namque morem atque indolem videtur illud ferme poſitum, ſi nimirum; quod in illis praecellentius eſt; poſt idearum apprehenſionem, de iiſdem probe judica-

dica-

dicare ipſi negligant, ac ſibimetipſis vim inferant quodammodo; illud, quod eos a belluis ratione, conſilio, & aequo judicio deſtitutis, egregie ſecernit turpiter deſerentes. Nos igitur a praepoſtera quapiam Tractatione abhorrentes, conſtitutae Idearum expoſitioni continuo Judicii naturam, quantum a nobis fieri potuit, clare perſpectam adjacere voluimus.

§. I.

EST ergo judicium Mentis humanae actus, quo unum de alio vel affirmamus, vel negamus; cujuſmodi illa ſunt judicia, quibus intra noſmetipſos, *Deum eſſe juſtum, & animam rationalem haudquaquam cum corpore in morte interire tuto decernimus*. Judicare uno denique verbo; & quidem Philoſophico ſenſu; eſt certum ducere perſuaſumque habere inter duo, plurave mentis noſtrae objecta, relationem quampiam convenientiae & connexionis, vel diſconvenientiae & diſcrepantiae intercedere; ſeu perſuaſum habere aliquid nonnullis rebus convenire, vel non convenire. Ita ex. gr. ſi certum putemus felicitatem a virtute potiſſimum oriri, judicium efformare dicimur a Philoſophis; quia nimirum pro certo habemus, felicitatem inter & virtutem, relationem convenientiae & connexionis intercedere quandam; ita ut felicitas a virtute potiſſimum ortum habeat. Ea-

Eadem ratione, ſi pro explorato teneamus, aliena rapere & in uſum derivare proprium Juſtitiae adverſari, judicium equidem cudimus; perſuaſum nimirum habemus, alienarum rerum rapinam, earumque uſum invito Domino cum juſtitiae legibus haudquaquam poſſe cohaerere, longeque ab Juſtitiae Idea diſcrepare. Igitur Judicium actus ille eſt animi, quo pro indubitato aliquid de alio verum eſſe, aut aliquid cuipiam convenire, vel non convenire ſtatuimus.

§. II.

JUdicium quodcumque ſit, vel illud mentis enuncietur intimo ſenſu, vel vocabulorum ope & miniſterio exprimatur *Propoſitio* ſive *Enunciatio* dicitur; ac tum id, cui aliquid convenire, aut ab eo diſcrepare putamus; tum voces, quibus illud ſignificatur, *ſubjectum* Propoſitionis appellari conſuevit: Id vero quod ſubjecto convenire aut non convenire ducimus *Attributum*, ſive *Praedicatum* Propoſitionis a Scholaſticis nuncupatur. Sic allatae ſuperius Propoſitiones: *Deus eſt Juſtus: Anima rationalis minime cum corpore perit:* utrumque complectuntur: Etenim *Deus* de quo juſtitia affirmatur *ſubjectum* eſt, cui juſtitia ipſa tribuitur; *Anima rationalis* item, de qua jure interitus cum corpore ſimul negatur, aliud eſt ſubjectum,

ctum, a quo ipſe aufertur interitus; *juſtitia* vero, necnon interitus denegatio *attributa* totidem ſunt, quae utrique Propoſitioni perbelle accomodari exiſtimantur.

§. III.

QUaelibet *Propoſitio* ſive *Enunciatio*; atque ea praeſertim, quae ſenſibilibus vocabulorum ſignis expromitur, ut ad judicii tribunal afferatur, *Nominibus*, *Pronominibus*, atque *verbis* neceſſe habet. Hujuſmodi haec eſt omnibus inſtructa requiſitis Propoſitio: *Cato ſibi mortem crudeliſſimam conſcivit*; de qua tamen grammaticalem interpretationem ſi inſtituere cogitarem, vobis jure mecum conqueri auſcultarem, quod iterum ad puerorum Elementa remeare compellerem. Quamobrem Vobis ſatis ſuperque ut arbitror ea ſuper arte inſtructis ſufficere autumo, ſi quae ad Propoſitionem bene efformandam poſtulantur, ob oculos perſpecta habeatis.

§. IV.

UT judicii igitur, ſeu Propoſitionis notio clarior fiat, attentius conſideremus oportet, quae neceſſaria nobis ſint, ut rectam de re cenſuram ferre valeamus. Opus eſt enim primo, *ut ſimus duarum Idearum conſcii*; videlicet

licet ut nobis innoteſcat, tum id, de quo aliud affirmare volumus, vel negare; tum id, quod illi, affirmando, conjungimus vel negando, ab eo removemus. Sic judicare minime poſſumus; *Deum eſſe juſtum; Animam rationalem nullatenus cum corpore interire*; niſi nobis conſtet tum quid ſit *Deus*, tum quid *juſtitiae* nomine intelligatur; niſi quoque nobis exploratum ſit; tum quid *rationalis anima* ſit, tum quid *corporei interitus* nomine intelligendum ſe ſe offerat. Requiritur ſecundo *mutua duarum ipſarum Idearum comparatio:* Niſi enim Ideae, quarum una de altera enuncianda eſt, invicem conferantur, cognoſcere mens noſtra nequaquam poterit, quae earundem ſit relatio ac proinde quodnam *judicium* rite ea de re ſit ferendum. Requiritur poſtremo, *ut ipſarum Idearum habitudo menti* reluceat: Etenim nonniſi ex hujuſce habitudinis notione determinatur mens ad unam Ideam de alia vel adfirmandam, vel negandam. Tanti profecto faciendae ſunt hujuſmodi praeceptiones, ut tota in iis merito locanda ſit mentis acies, & abſolutiſſima *judicii* vis ab ipſis bene adhibitis dicenda ſit tota pendere.

§. V.

EX quibus deinde conſequi pervium eſt, *judicii* proprietates *in veritate & falſitate* conſiſtere. Judicium autem verum illud dicitur,

ſi

ſi proprio objecto conſentaneum ſit; falſum, ſi illi minime congruat. Objectum judicii ſunt res, in quibus mens, dum judicat, attenta verſatur: Suo itaque objecto reſpondet judicium, adeoque verum eſt, ſi res ita ſe habeat, ut eam ſe habere, mens judicio ſuo definit. Contra vero judicium non congruit objecto, eſtque proinde falſum, ſi res aliter ſit in ſe, ac eam eſſe, mens ſuo judicio pronunciat. Sic verum eſt judicium, quo *Deum eſſe juſtum*; falſum è contrario, quo *mentem noſtram cum corpore in morte perituram eſſe*, cenſemus; quippe ſumma juſtitia in Deo reipſa eſt; mens vero noſtra minime cum corpore deficit.

§. VI.

JUdicium affirmativum, quo verum ducimus, quo aſſentimur datum quodpiam attributum dato cuipiam convenire ſubjecto, iis vocibus ſignificatur ſemper, quae a Grammaticis peculiari nomine verba nuncupantur: Alterum vero judicium, quo animus aſſentitur & pro certo habet, datum quoddam attributum a dato quopiam ſubjecto diſcrepare, ſeu cum illo non convenire, ſaepius quidem expreſſis negativis particulis, *non*, *minime*, *haud*, *nequaquam*, aliiſve id generis deſignari ſolet.

Verum minora levioraque haec ſunt quodammodo; praeſertim vero ſi cum graviori-

bus,

bus, quae explicari exinde neceſſe eſt, conferantur; in quo nimirum judiciorum tabes & vitia, a quibus ea plerumque labefactentur, ſita ſint; ut inde facili illa negotio, ac citiſſime a mente noſtra propulſemus.

§. VII.

TRia igitur maxime exiſtunt, quae generatim impediunt, quominus recte de rebus definiamus judicemuſque; *infantiae ſcilicet praejudicia, nec non praecipitatio mentis*; ac tum maxime ſenſuum noſtrorum ludificationes; ſeu errores è ſenſuum ipſorum perceptionibus prodeuntes; de quibus tamen ſeorſim in alia ſectione conſulto differere cogitavimus.

Infantiae praejudicia falſae illae dicuntur opiniones, quas tum infantili aetate cum ipſo nutricis lacte ſuximus, tum etiam toto pueritiae tempore ad uſque adoleſcentiam hauſimus. *Nos ſimul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus*, inquit Tullius, (a) *in omni continuo pravitate & in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cum vero parentibus redditi demum, magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatae natura ipſa cedat.*

Pluribus ergo falſis opinionibus a prima aeta-

(a) Lib. III. *Quaeſt. Tuſcul.* Cap. 1. & 2.

aetate praeoccupati, atque a teneris annis imbuti; falſa ea demum omnia arbitramur, quae illis conſentanea nequaquam ſunt; ea vero tanquam certiſſima apertis obviiſque ampleċtimur ulnis, quae ex illis derivantur; quin vel leviſſime expendamus, num error aliquis hiſce judiciis ſubeſſe poſſit. Ejuſmodi vitium tametſi difficilis plane curationis vulgo cenſeatur, expedit nihilominus illud fuſiori aliquà animadverſione pertractari, ut quid illud demum ſit agnoſcamus ex quo tot funeſta conſequuntur; tum ut eidem tempeſtive occurramus.

§. VIII.

SI quis ergo ad originem velit attendere, ex qua immenſa propemodum errorum illa congeries ortum ducit, unde infantes miſere laborant; ego ſane non dubito, quin vehementer unuſquiſque mirari debeat quomodo ad adultam pervenientes aetatem eiſdem ſe valeant expoliare. Etenim infantium fibrillae cumprimis molles ac tenuiſſimae ſunt, in quibus proinde objecta diverſa plane ratione, ac in nobis, conformari contingat. Mutuum praeterea ac neceſſarium cum nutricibus, aut etiam cum matribus, quae plerumque liberali carent educatione, colloquium, infantium ingenium jam alteratum totum turbat ac pene corrumpit. Mulierculae illae item ipſis, nihil

prae-

praeter nugas ſabulaſque ridiculas, aut terrificas obtrudunt; ipſorum menti nihil, praeter ſenſibilia objiciunt; & verba ſua ita diſponunt, eoque oris habitu eloquuntur, ut falſis ſenſuum judiciis confirmandis ſint valde idonea. Quid plura? infirmitates ſuas, abſurdas formidines, ridiculas ſuperſtitiones, & caetera id genus matres infantium menti veluti ſemen quoddam inſerere perpetuo non deſinunt. Quo pacto in veritate inquirenda aut delibanda nuſquam exerciti, ad extremum veritatis ejuſdem diſcernendae rationiſque in rebus cognoſcendis adhibendae incapaces plane redduntur. Hinc tamdiu inhaerens quaedam per totos corporis artus effuſa formido, ac puſillanimitas quaedam pernicioſiſſima proficiſcitur; cujus vehementi adeo vi non pauci exiſtant deinde, qui quindecim aut viginti annos nati, nutricis peſtiferas ejuſmodi inſtitutiones, atque totum ingenium nondum exuerint. Verum non hic ſubſiſtit integer praejudiciorum cumulus; etenim pejora nonnulla, vix infantia ac pueritia exacta, ſuperſunt. *Quum vero* (ita egregie ſummus Philoſophus monet Tullius (a)) *accedit eodem, quaſi maximus quidam magiſter, populus, atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque deſciſcimus.*

(a) Lib. III. *Quaeſt. Tuſcul.* Cap. 1. & 2.

§. IX.

Alterum errorum inter judicandum principium, *Praecipitatio mentis* eſt; qua de re, vel prorſus ignota; vel non ſatis explorata, praecipiti & inconſulto judicio decernere volumus. Quam porro hujuſmodi vitium late dominetur, explicari vix poteſt. Morae ſiquidem impatientes ſuperſedere in rebus conſiderandis, ne tantillum quidem, poſſumus; ſuntque longe plura, ut teſtatur Tullius (a), *quae odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut laetitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut alia permotione mentis, quam quae veritate judicamus*. Hinc ut egregie monet, & praeclare explicat vir Clar. (b) *apertis ulnis in ſinum admittimus promiſcuam ratiociniorum, & axiomatum farraginem. Haec malumus pro veris ſupponere, quam ad examen vocare. Si non capimus ipſi, credere volumus ab aliis capi; & ſic memoriam infinita rerum falſarum, obſcurarum, & non intellectarum ſupellectili oneramus, e quibus tanquam indubitatis principiis concluſiones poſtea deducimus, nequaquam ad ea attendentes, quae vel dicimus vel cogitamus. Vanitas praeterea, & arrogantia vires addunt huic malo. Pudet nos de quovis dubitare, quidvis ignorare. Malumus in-*

con.

(a) Lib. I. *de Orat.* Cap. 42.
(b) *Auctor artis cogitandi* Diſſ. I. Proemiali.

conſulte garrire, & caſu pronunciare, quam noſmetipſos agnoſcere non ſatis inſtructos ad ſententiam ferendam. Toti ſcatemus ignorantiis, & erroribus; cum tamen nihil difficilius ſit, quam hanc tam aequam, tam debitam humanae conditioni confeſſionem exquirere. Neſcio, Fallor. His ergo vitiis ut occurramus, cordi ſint quae ſequuntur.

§. X.

IIs omnibus opinionibus exuenda mens noſtra eſt, quas anteacta conſuetudine temere arripuimus; earumque nulla deinceps pro vera habeatur oportet, niſi maturo prius examini ſubjecta fuerit attentoque animo expenſa. Hinc Philoſophiae ſtudium inchoandum eſſe a dubitatione cenſuit olim Carteſius; recte putans vir eximius, nonniſi hac ratione poſſe fieri, ut infantiae praejudicia, praejudicataeque opiniones tollantur. Neque enim, ſi omnia ſimul permixta ſint, diſcerni poſſunt vera a falſis, niſi ſingula, perinde ac dubia, veluti ad tribunal vocentur, & rigide expendantur; atque adeo niſi dubitando philoſophemur.

§. XI.

JUdicia noſtra tamdiu cohibere debemus, donec res, in qua verſamur ſedulo examine diſcuſſa a nobis fuerit, optimeque perſpecta.

Quum enim, inquit Tullius (a) *tam vitioſum eſſe conſtet aſſentiri quidquam aut falſum, aut incognitum; ſuſtinenda eſt potius omnis aſſenſio, ne praecipitet, ſi temerè proceſſerit;* ſumma profecto temeritas eſt de re nonniſi leviter explorata ſententiam pronunciare. Neque enim tanta vi tantoque mentis acumine ſumus à natura inſtructi, ut nihil plane occurrere nobis poſſit, quod ſtatim nitide percipi valeat. Praeceps itaque judicium ſemper temerarium eſt, etſi quandoque veritati conſentiat; Etenim licet verum ſit, illud nihilominus indubitatum eſt; defuiſſe nimirum ſufficiens rei examen, quod ipſum debet judicium praecedere, ut prudens cenſeatur.

§. XII.

QUoniam vero non omnia ſunt aequalis ponderis, neque omnia aeque in abdito deliteſcunt, non omnia perinde, antequam de illis judicium feratur, aequali cunctatione inveſtiganda ſunt, neque eodem examine cuncta ſunt expendenda. Non minoris quippe eſt vitii, in iis, quae pro ſua natura, & dignitate longo attentoque examine indigent, praecipitanter verſari; quam in iis perſcrutandis, quae ſcitu faciliora ſunt, nec multum utilia, longam operam curamque impendere.

§. XIII.

(a) Lib. IV. *Quaeſt. Acad.*

§. XIII.

PRaemiſſo ſufficienti rei examine, judicium ferendum eſt ad menſuram acquiſitae cognitionis; ita nimirum, ut ſi cognitio fuerit clara & diſtincta, judicium ſtabile ſit atque fixum; contra vero, aut nullum, aut nonniſi formidoloſum, ſi cognitio obſcura fuerit, ac prorſus confuſa. Etenim non minori videtur reprehenſione dignus qui fluctuat in rebus certis & evidentibus, quam qui de rebus confuſe tantum, & obſcure cognitis, abſque ulla prorſus haeſitatione, quaſi ex tripode judicium pronunciat. Qui vero, *quod novit loquitur*; hoc eſt, qui ad menſuram ſuae cognitionis de rebus judicat, *judex eſt juſtitiae* (a).

Satis dictum eſſe puto de iis, quae generatim judicii de rebus ferendi naturam, ejuſque rectum uſum ſpectabant; quae inſuper ad nonnulla praejudiciorum mala ſemina appoſitis legibus propulſanda neceſſaria fore cenſuimus. Reliquum ergo erat, ut varia propoſitionum genera traderentur, in quibus definiendis judicandiſque ratione & conſilio nos duci neceſſe eſſet; ac ne in iis hallucinaremur, quae impervia, & tenebris circumfuſa detegerentur.

(a) *Proverb.* Cap. 12. v. 17.

SECTIO II.

Varia exponuntur Propoſitionum genera, de quibus judicium ferre debemus.

TAmetſi potiſſimae cujuſpiam Propoſitionis affectiones, ſeu proprietates in *veritate & falſitate* locari merito debeant, quemadmodum paulo ante innuebamus, atque illuc praecepta omnia revocari ſedulo ſtuduerimus; ipſa nihilominus Propoſitionum tam varie inflexa conſideratio, juxta multiplices earum facies quibus illae affectae ſunt, in cauſa nimirum eſt, cur varios earundem gradus animadvertere atque in quaſdam claſſes ſecernere neceſſe ſit; deinde ut curſim ſaltem univerſa exponendo perſequi ad perfectam hujuſce artis Tractationem modo compellamur. Ita vero de hiſce agendum eſſe ſtatuimus, ut non eximiam Dialectices dignitatem, neceſſitatem ac pretium in iiſdem conſtitui debere arbitremur.

§. I.

§. I.

Reliquae itaque Propoſitionum affectiones eae primo appellantur, quae vel in *materia contingenti*, ut ajunt, vel *in materia neceſſaria* verſantur. Quae Propoſitiones *neceſſariae* vocari uſuveniunt, eas enunciari tunc arbitror, quando *praedicatum* neceſſario convenit *ſubjecto*, ſi propoſitiones affirmativae ſint, vel illi repugnat, ſi ſint negativae; quae vero *contingentes* ſunt, ita enunciantur, ut habitudo *praedicati* ad *ſubjectum* omnino contingens eſſe debeat; atque adeo nempe, ut nulla in illis repugnantia ſit, *ſubjectum* aliter reipſa ſe habere, ac in Propoſitionibus enunciatur. Sic in *materia neceſſaria* hujuſmodi ſe habet Propoſitio: *Homo eſt rationalis;* haec vero quae ſequitur in materia contingenti: *Petrus eſt doctus;* eo quia rationalitas *neceſſario* homini convenit; at nonniſi *contingenter* Petro ineſt doctrina.

§. II.

Non minus Propoſitionis affectiones habentur vulgo a Dialecticis, quod illa *ſimplex* aut *compoſita* eſſe contingat. Enim vero *ſimplex* illa dicitur Propoſitio, quae uno conſtat *ſubjecto*, & uno *praedicato*, quaeque propterea ita eſt una, ut in plures reſolvi nequeat; cu-

juſmodi ſunt *Deus eſt juſtus; Homo eſt animal; Bruta ratione carent;* aliaeque id genus ſimiles: *Compoſita* vero ea eſt, quae ex pluribus conſurgit, in quas reſolvi valeat. *Simplicitas* itaque, nec non *compoſitio* in Enunciatione quapiam tanquam duae indiviſae proprietates habendae ſunt; quarum altera, *compoſitio* nempe, cum varie intelligi atque uſurpari debere & poſſe perſpiciam longiori utar explicatione ac leges aliquot brevius quoad mihi fas erit ſancire curabo.

Compoſita ergo bifariam dicitur Propoſitio; vel enim *compoſitio* perſpicua eſt & manifeſta, Propoſitio *explicite compoſita* nuncupatur; Si vero paulo obſcurior ſit, *implicite compoſita* recte vocatur.

Propoſitionum *explicite compoſitarum* ſex numerantur ſpecies; videlicet *conditionalis*, *copulativa*, *disjunctiva*, *cauſalis*; *diſcreta & relativa*. Propoſitio *conditionalis* ſive *hypothetica* dicitur illa, quae ex duabus propoſitionibus conſtat ſimul per particulam *ſi* conjunctis. Propoſitio *copulativa* ſive conjuncta, eſt illa, cujus partes copulantur per particulam *et*, *atque &c.* Propoſitio *disjunctiva* ea eſt, cujus partes ſimul uniuntur per particulam *vel*, *aut &c.* Hujuſmodi illa eſt Auli Gellii (a) *aut malum eſt voluptas, aut bonum; aut neque bonum neque malum. Cauſalis* Propoſitio dicitur illa, cujus mem-

(a) Lib. XVI. *Noctium Atticarum* Cap. 8.

membra ſunt ſimul unita per particulam cauſalem *quia*, vel aliam hujuſmodi; quemadmodum ex nobili illo Senecae (a) effato atque ſententia. *Vitia noſtra, quia amamus, defendimus, & malumus excuſare illa, quam excutere*. Propoſitio *diſcreta* illa eſt, cujus partes ſimul copulantur per particulas adverſantes *ſed*, *verum*, *tamen &c*. Hujuſmodi eſt illa Senecae (b) mox commemorati: *Voluptatem natura neceſſariis rebus admiſcuit, ut non illam peteremus, ſed ut ea, ſine quibus non poſſumus vivere, gratiora nobis illius faceret acceſſio*. Propoſitio demum *relativa* ea vulgo appellatur, cujus una pars ad alteram refertur, vimque ab illa mutuatur: Ita huc ſpectare debet celebre illud Apocalypſeos de Meretrice: *Quantum ſe glorificavit & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*.

At Propoſitionum *implicite compoſitarum* quatuor potiſſimum ſunt ſpecies; videlicet *excluſiva*, *exceptiva*, *comparativa*, & *reduplicativa*. Propoſitio *excluſiva* dicitur illa, cujus ſubjectum, vel praedicatum particula excluſiva *tantum*, *duntaxat*, *ſolum &c*. affectum eſt. *Exceptiva* ea vocatur Propoſitio, in qua per particulam *praeter* vel aliam hujuſmodi, aliqua ſub illius *ſubjecto* contenta a participatione *praedicati* excipiuntur: Talis eſt iſta: *Omnes homines ſalvi fient praeter ſceleſtos*. *Comparativa* Propoſi-

(a) Epiſt. 117.
(b) *Ibidem*.

poſitio nuncupatur illa, in qua *praedicatum* enunciatur ſecundum aliquem gradum de ſubjecto per comparationem ad aliud, cui illud praedicatum abſolute tribuitur. Hujuſmodi eſt illa ſatis evulgata, quae inter Philoſophos obtinet ubique ſententia; *omnium* videlicet *difficillimum eſſe*, *noſſe ſeipſum*. Propoſitio *reduplicativa* ea eſt demum in qua per particulam *quatenus*, *prout &c.* id de ſubjecto indicatur, ratione cujus *praedicatum* illi convenit, vel repugnat; ut cum dicitur: *Sol quatenus lucidus*, *calefacit*. Significatur enim, lumen in ſole eſſe rationem, cur calorem ſol ipſe producat.

Hactenus ergo *ſimplicium*, multo vero latius *compoſitarum* Propoſitionum varia genera expoſui: Quae tametſi nec obſcurioris ſenſus, nec maximi in hac arte momenti eſſe compererim, ea vos tamen non ignorare conſultius ac melius fuiſſe judicavi, propterea nimirum quod cum illa a Grammaticis tradita non occurrant, a Dialecticis velut totius artis complementum ac expoſitas merces doceri, & vendi quoquomodo neceſſe fuerit. Hiſce itaque explanatis conſentaneum eſt, ut regulae aliquot ſubjiciantur, quarum lumine quaecunque minus dilucida in illarum ſanctione eſſe poterant diſpellerentur. Sit itaque, juxta ſuperius digeſtum enumarationis ordinem, prima.

Veritas Propoſitionis conditionalis non a veritate partium, ſed a recta illarum conjunctione

unice

unice pendere debet. Nimirum vera eſt condicionalis Propoſitio, ſi verum eſſe nequeat *antecedens*, quin verum ſit *conſequens*; licet utrumque, ſi abſolute ſpectetur, prorſus fallat. Sic iſta eſt vera: *Si aſtra reſpirant, vita donantur*; quia illud vita carere nequit, quod reſpirandi virtute praeditum eſt. At è contrario haec eſt falſa: *Si Petrus currit, eſt albus*; quia ex poſitione curſus minime ſequitur, Petrum *albedine* donari.

Ad veritatem copulativae Propoſitionis requiritur, ut ſingulae illius partes ſint verae. Nam ut egregie animadvertit Aulus Gellius (a) *in omni conjuncto, ſi unum eſt mendacium, etiamſi caetera vera ſint, totum eſſe mendacium dicitur*. Res adeo per ſe patet, ut exemplis illuſtrari non debeat.

Ut vera ſit Propoſitio disjunctiva, una tantum disjunctionis pars debet eſſe vera. Enimvero in disjunctione, quemadmodum advertit Tullius (b) *plus uno verum eſſe non poteſt*. Partes enim disjunctivae Propoſitionis ea ratione ſibi mutuo debent adverſari, ut nullum admittant medium, quod in ipſa propoſitione diſtincte non exprimatur.

Ad veritatem cauſalis Propoſitionis neceſſe eſt, ut pars cauſali particula affecta ſit vere ratio, ſive cauſa, cur altera pars vera ſit. Sic vera eſt haec

(a) Lib. XVI. *Noctium Atticarum* Cap. 8.
(b) *Topic.* Cap. 14.

haec propoſitio: *Hominis anima immortalis eſt, quia in partes indiviſibilis eſt*. Ex eo namque quod anima humana partibus careat diviſibilibus, vera ratio profluit, cur immortalis & nunquam ſit peritura: At è contrario haec eſt falſa: *Homo vivit, quia eſt ſubſtantia*; cum ratione ſubſtantiae non habeat homo, quo vivat.

Veritas diſcretae Propoſitionis dependet non ſolum a veritate ſingularum partium, verum etiam a veritate adhibitae diſcretionis. Quapropter falſa eſt proinde hujuſmodi propoſitio. *Sol eſt corpus lucidum, neque tamen eſt animatum*; quia non eſt inconveniens, ut ſol ſit anima deſtitutus, ſimulque ingenti ſplendore refulgeat.

Relativae Propoſitionis veritas ab accurata comparatione dependet. Quare falſa eſt haec propoſitio: *Tantae molis eſt ſol, aut luna, quantae nudis oculis cernitur*. Caute igitur incedendum eſt in comparationibus ineundis, ne dum in una propoſitionis parte ex alia ad ipſam relata vim facere aggredimur, in nihilo agendo occupatos fuiſſe ex non recta rerum collatione poſtmodum deprehendamus.

A reliquis Propoſitionum *implicite compoſitarum* regulis abſtinemus eo quia nihil in ſe habere quod ipſas aliqua indigere peculiari animadverſione dignoverim; tum quia brevitatis ratio mihi ſemper ſectanda ſe ſe offerat, & gravioris momenti plurima, quae conſequuntur hic ſubſiſtere me compellant.

§. III.

§. III.

PRopoſitionum aliae demum ſunt exponendae affectiones, quae in eo ſitae ſunt, ſi illae nimirum *univerſales*, *particulares*, *indefinitae*, *& ſingulares* ſint. Harum omnium obviae ſunt ſignificationes, quibus nulla ſubiicienda eſt explanatio: At praeceptiones breviſſimae nonnullae negligendae haudquaquam ſunt; quarum prior ſit.

Propoſitio indefinita in materia neceſſaria aequivalet univerſali. Quod enim neceſſario convenit, vel repugnat uni individuo alicujus ſpeciei, ineſt quoque vel repugnat omnibus & ſingulis individuis, quae in illius extenſione continentur.

Propoſitio indefinita in materia contingenti aequivalet particulari; vel etiam univerſali, univerſalitate duntaxat morali. Sic iſta: *Homo eſt albus* aequivalet huic: *aliquis homo eſt albus*; quemadmodum etiam iſta: *juvenes levitate & inconſtantia laborant*, eadem cum illa eſt: *Omnes fere juvenes levitate & inconſtantia laborant*. Quod enim contingenter convenit uni individuo, taliter illi ineſt, ut ſimul alteri non ineſſe poſſit & reipſa non inſit.

§. IV.

§. IV.

AD Propoſitionum proprietates referendae quoque ſunt illae, quae inter ſe *oppoſitae* vulgo nuncupantur. Porro Propoſitionum oppoſitio eſt duarum propoſitionum idem *ſubjectum* idemque *praedicatum* habentium diſconvenientia; vel penes *formam* tantum, ut ajunt; quatenus ſcilicet earum una eſt *affirmativa*, altera *negativa*; vel tantum penes quantitatem, ut Scholae ferunt; quatenus nempe una eſt *univerſalis*, & altera *particularis*. Duo itaque recte enumerari poſſunt *oppoſitionum* ſpecies; quae nimirum vel *contradictoria* vel *contraria* dicuntur. Prioris ſpeciei ſit exemplum in hac propoſitione: *Omnis homo eſt animal*, quae huic alteri contradictorie opponitur: *Aliquis homo non eſt animal*. Secundae vero ſpeciei alterum ſit exemplum in hac Propoſitione: *Omnis homo eſt albus*, quae huic alteri *contrarie* opponitur: *Nullus homo eſt albus*.

Satis pro ambarum ſpecierum ſive *oppoſitionum* definitione ac illuſtratione ſint dicta. Hiſce tamen nunnulla ſubjici praecepta neceſſe eſt, quibus dilucide magis inter utramque oppoſitionem diſcrimen agnoſcatur: Horum ergo ſit primum.

Propoſitiones contradictorie oppoſitae nequeunt eſſe ſimul verae, & ſimul falſae, ſed una determinate

minate

minate vera eſſe debet, & altera falſa. Enimvero cum inter attributa *contradictorie* oppoſita non detur medium, quod vel utrumque excludat, vel de utroque participet, eorum proinde alterum neceſſario cuique convenit, atque adeo altera propoſitionum *contradictorie* oppoſitarum neceſſario vera eſt, altera falſa.

Propoſitiones contrarie oppoſitae in nulla materia poſſunt eſſe ſimul verae, ſed ſi earum una vera eſt, altera falſa eſſe debet. Hujuſce Canonis apertiſſima ratio eadem, quae modo allata fuit circa propoſitiones contradictorias, aeque hic debet accomodari.

Propoſitiones contrariae in materia contingenti poſſunt eſſe ſimul falſae. Ut enim haec ſit falſa: *Omnis homo eſt albus*, ſatis eſt, ut *aliquis homo non ſit albus*. Haec ſimiliter falſa eſt: *Nullus homo eſt albus*, ſi haec ſit vera: *aliquis homo eſt albus*. Manifeſtum eſt autem, poſſe ſimul eſſe verum, *aliquem hominem non eſſe album*, & *aliquem hominem eſſe album*, cum quod contingenter convenit ſpeciei; poſſit ineſſe uni alicui individuo, & ſimul non ineſſe alteri: Ergo Propoſitiones *contrariae* in materia contingenti poſſunt eſſe ſimul tam verae, quam falſae.

Circa Prpoſitiones vero *contradictorias* expendendum eſſe ſerio monuimus; earum ſcilicet unam neceſſario, tametſi *indeterminate* ut ajunt, exiſtere aut concipi veram debere, alteram

teram vero falſam: Nihilominus ſpectata penitius contradictionis indole, illarum neutri ita nos aſſentiri poſſe jure affirmamus, ut illis definita veritas, aut determinata falſitas generatim liceat attribui; ſi praeſertim de Propoſitionibus contradictoriis futurum contingens reſpicientibus agatur, antequam ullum Dei Decretum de rerum futuritione concipiamus. Quis enim temere adeo decernere non dubitet in hac ex. gr. propoſitione: *Petrus craſtina die adverſus Paulum proditionem molietur aut ab illa temperabit*, ejus alterutram partem a libero Petri arbitrio pendentem contingere determinate debere; quod nimirum illius veritas a verſatili origine ortum ducere comperiatur? Nemo ſane, niſi quis forte divinitatis ſcientiam ſibi velit vindicare: Quinimo ipſemet Deus, qui juxta Auguſtini effatum celebre, novit quid fuerat ipſe facturus, tum futura contingentia cuncta nonniſi in ſua aeternitate intuetur, tum quid a Petro craſtina die ſit praeſtandum, nonniſi in ſua praedeſtinationis ſcientia certiſſima agnoſcit; multo vero minus ullus hominum ad tantum ſcientiae faſtigium, quantumlibet mentis acie praecellens potuit huc uſque pertingere.

A rerum hac ſuper re ſcriptis conſignatarum hiſtoria (quemadmodum a nonnullis in divinitate Doctoribus elapſis praeſertim ſaeculis tentatum, atque è tripode, ut ajunt, defini-

finitum fuiſſe novimus) conſulto nihilominus abſtinere idcirco ſtatui, ne ex veteribus maleque olentibus ſcholaſticarum diſputationum illuvionibus aliquam conflare otioſo plane labore mihi poſſem invidiam, ac ne perinde ab aequis rerum cenſoribus conſilii & ſanae mentis expers haberer.

Reliqua ad Propoſitionum *oppoſitionem* ſpectantia conſulto praeterire decrevi, quum quod, ut initio Sectionis hujuſce monueram, eximiam Dialectices dignitatem, neceſſitatem, ac pretium in iiſdem conſtitui debere haudquaquam putaverim; tum quod ut aliis morem gererem, quantum levis poſcebat neceſſitas, in illis enucleandis ſatis temporis & orationis inſumpſerim. Deinceps vero, quae utiliora ſunt conſectabimur.

§. V.

NOſtro praeterea ſubjici debent examini atque judicio Propoſitiones illae, quae vulgo *Incidentes* nuncupari uſuveniunt a peritis, eaſque proinde intereſt ſummopere a reliquis ſecernere; ac tum maxime, vel quum de re graviſſima ſermo eſt, vel quum de Scriptoris alicujus mente funditus intelligenda a nobis agitur.

Incidens itaque *Propoſitio*, ut ex ipſa nomenclaturae vi patet, enunciatio illa eſt, quae

potiori alicui Propoſitioni accidit, cum eaque intermiſcetur, neque ad rem, de qua dicitur ſeu praedicatur, ullatenus ſpectat. Ita in hac Propoſitione ex. gr. *Doctrina, quae collocat ſummum bonum in voluptate corporis* (quae fuit tradita ab Epicuro) *eſt indigna Philoſopho:* Quod de Epicuro affirmatur *Propoſitionem incidentem* conſtituit. Quandoquidem illud, quo dicitur: *Doctrina quae collocat ſummum bonum in voluptate* ſubjecti vicem gerit; alterum vero *eſt indigna Philoſopho* praedicati rationem habet: Ex quibus, ut liquet, tota propoſitionis eſſentia conflatur. Igitur etſi hujuſmodi doctrinam ab Epicuro traditam non exponeremus, integram nihilominus Propoſitionis eſſentiam haberemus: quapropter quidquid ad Epicurum ſpectans adjicitur *incidenter* dictum eſſe patet.

§. VI.

AT amplius ut perſpecta ſit Propoſitionis *Incidentis* natura, duo nobis ſtatuenda ſunt loquutionum genera, quae niſi attente diſcernamus non adeo facile & ipſam Enunciationis Incidentiam ſeparare poterimus; quorum quippe prius ad *explicativas*, ut ajunt Dialectici, loquutiones pertinet; alterum ad *determinativas* ſic vulgo nuncupatas. Quae *explicativae* duntaxat ſunt potiorem reſpiciunt Propoſitionem, ut clariorem ei lucem concilient. Sic ex. gr.
quum

quum dicitur: *Homines*, (qui conditi ſunt ad Deum cognoſcendum, atque diligendum) *praecipiuntur opera praeſtare, quae eorum conditioni, & dignitati ſunt conſentanea* nulla in hac Propoſitione objicitur Incidentia; quae namque de homine affirmantur (eum ſcilicet ad Deum cognoſcendum diligendumque fuiſſe conditum) nihil addunt hominum ideae, niſi explicationem ampliorem, quum hominum percepta natura, & ipſos ad Deum cognoſcendum diligendumque conditos fuiſſe facili negotio judicemus. Quae vero *determinativae* ſunt loquutiones, quemadmodum paragraphi ſuperioris exemplo patuit, illae tantum Propoſitionis incidentiam conſtituunt; quod videlicet ideae cuipiam adjungantur, quin integrae ejus nominis extenſioni aut explicationi conveniant; verum ejus ſignificationem contrahant ad aliud exprimendum, atque determinent. Verum ad haec probe diſcernenda nulla accomodatior praeceptio tradi poteſt, quam ſi ad ſenſum loquentiſque intentionem attendamus; neglectis penitus verborum formulis. Ut enim in tota qua late patet Dialectices arte optimum ſenſum noſtrum ſpectare ſemper ac conſulere potiſſimum neceſſe eſt, quin pluribus inutilibus plane legibus, quae a veteribus Sophiſtis ſunt traditae haereamus; ita etiam ſive ad Propoſitionem *Incidentem*, ſive ad alia id genus quaelibet dijudicanda expeditior ſane via ac tutior methodus illa eſt, quae

temperantioris Critices uſum comitem habet. Quamobrem factu optimum cenſui nonnulla hic animadvertenda praecipiendaque inſerere, quae ſolidam viro Philoſopho inſtituendi judicii rationem ſuppeditare valent.

§. VII.

Antequam vero ad graviſſima de variis Propoſitionibus, quas propediem trademus, praecepta elucubranda deveniamus operae pretium exiſtimo, ſi nonnulla quoque aliarum Propoſitionum genera explorata habeamus, quae maxime intereſſe debet, penes Eccleſiaſticos praeſertim juvenes Sacrorum ſtudiis imbuendos, ipſos haudquaquam ignorare; ut nimirum cum legenti aut audienti eae occurrerint, compertum habere poſſit quo cenſurae ſtylo notari debeant atque configi.

Ac primo haeretica Propoſitio expendi breviter debet; quae ſcilicet in eo ſita eſt, ut *formaliter*, *directe* & aperte Catholico Dogmati adverſetur: Sic illa eſt haeretica, quae aſſerit Chriſtum non eſſe Filium Dei; quippe Dogma Catholicae Fidei eſt, *Chriſtum eſſe Filium Dei*. Ita tamen pro haeretica dubio procul illa eſt uſurpanda, ut tamen qui eam aut verbis promit, aut ſcriptis conſignat non continuo haereticus ſit, niſi pertinacia voluntatis in ea mordicus propugnanda accedat: In Donato

nato (a quo Donatiſtae) ſolemne extat monumentum: Etenim Sanctus Auguſtinus ad ipſum ſcribens: (a) *Illum* inquit *nondum haereticum dico, niſi manifeſta ſibi doctrina Catholicae Fidei, reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit.*

Erronea dicitur ea Propoſitio, quae contraria eſt Doctrinae, non quidem expreſſe revelatae, vel ab Eccleſia infallibili judicio ſuo definitae, ſed quae ex revelatis infertur, quaeque propterea tanquam *virtualiter* revelata a SS. Patribus & Eccleſiae Doctoribus communi ſuffragio edocetur.

Ea propoſitio vocatur *haereſi* vel *errori* proxima, quae licet manifeſte neque *haeretica* ſit, neque *erronea*, cum haeretica tamen aut erronea facile confunditur.

Propoſitio *ſapiens haereſim* aut *errorem* ea eſt, quae ex aliqua circumſtantia loci, temporis, aut perſonae gravem haereſeos errorisve ſuſpicionem habet.

Illa propoſitio dicitur favere haereſi, aut errori, quae mentem ad haereſim, erroremve diſponit; quatenus ſcilicet fundamenta catholicorum Dogmatum labefactare, eorumque vim minuere nititur; robur vero ex adverſo argumentis haereticorum tribuit, eaque plurimum laudat: *Schiſmatica* dicitur Propoſitio, quae Fideles ab Eccleſiae unitate disjungit, ac retrahit, ab obedientia Eccleſiaſticis Praeſulibus debita

 remo-

(a) Lib. VI. *De Baptiſ. contra Donat.* Cap. 16.

removet, atque adeo diviſioni Corporis Eccle. ſiae viam aperit: *Schiſma* quippe Graece, idem latine eſt quod *diviſio*.

Ea vero *injurioſa* vocatur, quae Perſonam aliquam vel ſtatum contumelia afficit. Cum vero injuriam Deo, vel Deiparae, aut Sanctis irrogat, illis nimirum de perfectionibus aliquid detrahendo, vel vitij aut defectus nonnihil tribuendo, *Impia* dicitur & *Blaſphema*.

Scandaloſa ea cenſetur Propoſitio, quae Fidelibus lapſus ſpiritualis occaſionem praebent; illos ſcilicet a virtutibus boniſque operibus retrahendo, ac ſenſim ad vitia promovendo: Cujus equidem Propoſitionis genus etſi quandoque verum in ſe continere deprehendatur, ſimplicium tamen fidelium mentes ſeducit, ac demum ad malum compellit.

Piarum aurium offenſiva ea Propoſitio eſt, quae licet nihil falſi contineat, verbis tamen minus caſtis ore depromitur. Quae praeterea, ſi quibuſdam conſtet verbis, quae adeo incongrua ſint, ut habita eorum ratione Propoſitio in malum ſenſum trahi facile queat *male ſonans* nuncupari uſuvenit.

Captioſa ea demum vocatur Propoſitio, quae *falſam haereticam*, aut *erroneam* doctrinam reipſa latenter continet, quamvis doctrinam ſanam ſpecie tenus referre videatur.

De hiſce ergo variis Propoſitionum generibus levi adumbratione propoſitis, neceſſe eſt

recte

recte judicare, ut qua inurendae cenſura ſint, ex earum inſpecta indole cuique facile pateant.

§. VIII.

QUantum vero reliquis utilitate majori antecellant, quas modo, ut ſpoponderam, animadverſiones & Canones vobis neceſſe eſt commendare, non eſt quod verbis perſequar: Sufficere hic duntaxat exiſtimo de iis me verba facturum dicere, quae a Criticis circa alia quaedam Propoſitionum genera affigi merito ſoleant, atque notari. Hinc enim conſtabit aperte, non tantum qualis nota Propoſitioni cuipiam, quae noſtro examini judicioque ſubjicitur, accomodanda ſit; verum etiam quidnam de iis, quae hiſce notis affecta ſunt, nobiſque occurrunt, jure ac merito ſentire debeamus.

Nihil eſt itaque, quod magis homines occupet, eorum mentes torqueat, eoſque tam ſollicitos efficiat, quam de Propoſitionum veritate, nec non certitudine; quemadmodum ipſa etiam quotidiana experientia edocemur. De hiſce ergo duobus non ſeorſim, ut nonnulli non inconſulto ſtudio & ratione fecerunt; verum promiſcuis praeceptionibus a nobis paucis erit agendum. Enim vero ſi quod Propoſitionum veritatem inter & certitudinem intercedit diſcrimen, ut recte Clar. expendit Wol-

ſius (a) in eo locatum eſſe putat, ut nimirùm veritas, Enunciationis ſeu Propoſitionis; certitudo vero, mentis affectio ſit. Ex quo conſequitur, illud ſemper tanquam certum inconcuſſe firmiterque menti noſtrae adhaerere, quod nobis in ſui enunciatione neceſſario veriſſimum apparet.

Porro autem tam veritas, quam certitudo Propoſitionum triplici poſſunt ratione conſtare: Etenim *Metaphyſice*, *Phyſice*, nec non *Moraliter* aliquid verum aut certum eſſe poteſt.

Propoſitio vera illa dicitur *Metaphyſice*, quae ita vera eſt, ut prorſus repugnet eam eſſe falſam. Sic neceſſario verum *Metaphyſice* eſt; Partem ex. gr. cujuſvis Totius ab ipſo Toto magnitudine ſuperari; quia evidens in hoc eſt contradictio, ut pars vel totum adaequet, vel illud excedat. Propoſitio vera *metaphyſice* illa vocatur, quae ita menti noſtrae vera apparet, ut prorſus repugnare videatur in ea admittenda nos falli. Sic *metaphyſice* nobis certum eſt, quidquid, Deo revelante, cognoſcimus; quia plane repugnat, ut in eo admittendo fallamur.

Vera Phyſice vocatur Propoſitio, quae licet poſſit eſſe falſa, quin aliqua vel minima terminorum pugna appareat, fallere tamen nequit, ſi vires naturae ſpectentur atque ad il-

lius

(a) *Philoſoph. Rational.* §. 565. Edit. Veron.

lius leges propoſitio ipſa referatur. Ejuſmodi pacto neceſſario verum eſt; omne nimirum grave ſi ſuo genio & ponderi relinquatur, fore, ut deorſum ruat: Quippe etſi non repugnet contrarium fieri lex tamen naturae non ſinit ut oppoſitum contingat. At ea nobis dicitur Propoſitio *certa Phyſice*, cum ita nobis tanquam vera menti relucet, ut ſalvis naturae legibus, falſa eſſe non poſſit, quamvis nulla, ſi falleret, terminorum pugna ſequeretur. Hoc modo certi ſumus de ſtuppae combuſtione, ſi haec ſecus ignem locetur: Quippe non ignoramus naturae leges minime pati, ut ſecus res ipſa contigat.

Vera demum *Moraliter* neceſſario cenſetur *Propoſitio*, quae vera quidem eſt, at non ita, ut ſi falleret, contingere poſſet, ut vel violarentur naturae leges, aut aliqua in terminis ſequeretur contradictio: Sic verum *moraliter* eſt neceſſario, Romulum cum Remo Fratre mutuo conſilio prima Romae fundamenta jeciſſe: Cum enim vetuſtiſſimi omnes hac ſuper re invicem conſentiant, ne vera ipſa ſint dubitare nequimus. *Certa moraliter* & ipſa neceſſario illa eſt *Propoſitio*, quae ita menti noſtrae elucet, ut quamvis falſa eſſe poſſit, nunquam tamen a certa enunciatae rei exiſtentia deſciſcit. Sic *certum moraliter* neceſſario haberi debet, apud Sinenſes ſuperſtitioſo cultu a Chriſtianis Profeſſoribus Confucium quendam Philoſophum a-

pud eas gentes celeberrimum etiamnum adorari, atque impiam plane ejus generis Religionem cum Sacris Fidei Catholicae ritibus atque Solemniis ſimul commiſceri ſolere. Enim vero tam frequens, tamque conſtans apud innumeros pene Scriptores eſt hiſtoria; tam multi inde profecti ex variis totius Europae nationibus oculati teſtes ad nos uſque confluxerunt, qui rem ita ſe habere affeverant, ut ex hiſce omnibus invictiſſimum moralis certitudinis confletur argumentum, tum omni exceptione majus, tum illud, cui refragari ſuprema haberi debeat temeritas & impudentia.

§. IX.

Hiſce propoſitionum gradibus hactenus explanatis & illae perinde adnectendae ſunt, quae modo veluti inter ſe cognatione quadam ſociantur; quarum prior Propoſitio illa eſt, quae *evidens* ſeu *evidenter vera* nuncupari ſolet: Hujus eſt enim indoles, quae ita vera nobis cogitantibus ſe prodat, ut habitudo ipſa praedicati ad ſubjectum mentem vivide percellat, ac veluti feriat. *Perſpicuitas*, inquit Tullius (a) *magnam habet vim, ut ipſa per ſe ſe ea, quae ſint, nobis, ita ut ſint indicet*. Ita haec Propoſitio eſt evidenter vera: *Neceſſe eſt, ut corrumpatur tandem, & pereat, quod corruptionis*

(a) Lib. IV. *QQ. Academ* Cap. 14.

nis in ſe habet principium: Hujuſce enim Propoſitionis veritas, perinde ac lucida quaeque corpora, ipſis veluti oculis cernitur.

Alia quoque expendenda occurrit Enunciatio, ſeu Propoſitio, quae vulgo *per ſe nota* appellari uſuvenit, quod diverſa plane ab evidenti Propoſitione haberi debeat. Etenim licet omnis Propoſitio *per ſe nota* ſit *evidens*, non tamen Propoſitio *evidens per ſe nota* habenda eſt. Innumerae quippe circumferuntur Propoſitiones nobis plane evidentes, quae tamen ex ſuis terminis nequaquam ſunt manifeſtae & per ſe notae. Eſt ergo Propoſitio *per ſe nota* illa duntaxat, cujus veritas ſola terminorum perceptione nitide nobis innoteſcit. Hujuſmodi eſt: *Omne totum ſua qualibet parte majus eſt;* ut primum namque illius termini, *totum* ſcilicet atque *pars*, percepti a nobis ſint, vera cognoſcitur. Quapropter Aulo Gellio Auctore (a) vocatur perbelle *Sententia, in qua nihil deſideratur.*

§. X.

Hic autem *probabilium* nec non *Improbabilium* propoſitionum haudquaquam praetermittenda eſt expoſitio, tum quod ad rectum de rebus judicium neceſſaria ſit atque utilis, tum quod in maximo Aethices chriſtianae negotio

(a) Lib. XVI. *Noctium Atticar.* Cap. 7.

gotio ſupremi penes Eccleſiaſticos praeſertim viros momenti ac ſollicitudinis eſſe debeat hujus rei compertam habere doctrinam.

Probabilis itaque ea dicitur propoſitio, quae veritati conſentanea quidem videtur; verum non ita ut licitum nobis nequaquam ſit de illius veritate vel leviſſime dubitare. *Probabilis erit* inquit Tullius (a) *ſi in ea videbuntur ineſſe ea, quae ſolent apparere in veritate*, atque ut ait Sanctus Auguſtinus (b) *probabile quando dicitur, non conſequenter eſt verum cum ea dicantur quae fieri poſſunt ac ſolent, & ideo probantur, hoc eſt, approbantur, & creduntur etiamſi facta non ſint*. Sic *probabilis* eſt matutinae ſerenitatis futuritio, ut ajunt ſcholaſtici, ſi rubens in ſero coelum fuerit; quia etſi non ſemper, frequentius tamen ſerotinam coeli rubedinem, matutina ejuſdem ſerenitas conſequitur. *Improbabilis* vero ea dicitur propoſitio, quae nobis potius falſa, quam vera innoteſcit. Sic *improbabile* eſt, ut homo in proximo delinquendi diſcrimine conſtitutus non peccet; quia etſi quandoque contingat, illum eo temporis non peccare, cum tamen fere ſemper contrarium evenire comperiamus, opinari tuto debemus, tanquam falſum potius quam verum, hominem in proximo periculo poſitum non peccaturum.

At

(a) Lib. I. *de Invent.* Cap. 21.
(b) Lib. III. *Contra Creſconium* n. 87. *alias* Cap. 75.

At monendum tempeſtive ducimus primo, Propoſitionum *probabilitatem* nec non *improbabilitatem*, quemadmodum de certitudine dicebamus §. 8., ita ad cognoſcentis mentem potius, quam ad intriſecam earum vim fore conferendam: Profecto plerumque accidit, ut propoſitio, quae uni *probabilis* eſt, alteri ſimul *improbabilis* plane videatur. Secundo expendendum eſt *probabilitatem* ſuos habere gradus: Neque enim inficiari aliquis poteſt, illam propoſitionem eſſe altera probabiliorem, pro qua ſtant plura ex iis, quibus neceſſario eſt opus, ut ſine ulla prorſus haeſitatione a nobis vera cenſeatur.

Animadvertendum praeterea hoc loco plurimum intereſſe opinamur, *probabile* cum *poſſibili* ac proinde propoſitionem *probabiliter veram* cum propoſitione *poſſibiliter vera* nonniſi perperam poſſe confundi. Hae namque toto plane coelo ſunt inter ſe diverſae. Etenim *poſſibiliter vera* hoc ipſo eſt propoſitio; quod res ita eſſe queat, quemadmodum in illa enunciatur; quamvis neque modo ita ſit, neque umquam ita fuerit; quinimo nec ita deinceps res ipſa ſit futura; atque adeo licet propoſitio nec ſit, nec fuerit, neque umquam futura ſit vera. At vero ut propoſitio cenſeri poſſit *probabilis*, non ſolum requiritur, ut poſſit eſſe vera, verum etiam ut veritati reipſa conſentanea videatur. Hinc S. Auguſtinus non utique dixit ea

eſſe

eſſe *probabilia*, quae fieri poſſunt, ſed quae inſuper fieri ſolent. Itaque licet omnis propoſitio *probabilis* ſit etiam *poſſibilis*, non tamen viciſſim omnis propoſitio *poſſibilis* cenſenda *probabilis* eſt.

Quoniam vero ex memorato Sancto Doctore (a) duo ſunt, quae ad verum cognoſcendum nos dirigunt, *ratio* nimirum, & *auctoritas*, ideo duplex propoſitionum probabilitas; *intrinſeca* ſcilicet una, *extrinſeca* altera ſatis apte diſtinguitur.

Propoſitio ergo, ut rem paucis expediamus, quae probabilis, vel improbabilis *intrinſece* dicitur, illa eſt, quae conſona veritati apparet propter rationem ſuadentem, rem vel cum veritate cohaerere, vel ab eadem longius aberrare. Propoſitio vero, quae *extrinſece* duntaxat probabilis, vel improbabilis cenſeri debet, illa vocatur, quae veritati conformis non eſt, niſi propter affirmantium, aut ſcribentium auctoritatem.

Huc uſque de multiplici Propoſitionum varietate intra breviores quoad valuimus expoſitionis fines univerſa, de quibus judicium pronunciare debemus, cohiberi curavimus. Antequam vero praecepta pro tutiori earundem uſu accomodata litteris conſignemus, operae praetium exiſtimo vos ſerio commonefacere, ne de propoſitionum probabilitate, ſive improbabi-

(a) Lib. III. *contra Academ.* n. 43. *alias* Cap. 20.

babilitate definite aggrediamini uno Doctorum affirmantium abſque ulla ſuadenti ratione, teſtimonio innixi; nihil eſt enim viro Philoſopho cumprimis indignum magis; nihil deinde Chriſtiano homine periculoſius.

§. XI.

NUlla itaque propoſitio tamquam vera ullatenus excipienda eſt, neque ut falſa rejicienda, niſi prius illius termini nobis noti atque perſpecti optime fuerint: Niſi enim habeatur notio clara atque diſtincta terminorum, quibus propoſitio conſtat, quemadmodum ignotus nobis tunc erit illius ſenſus, ita nos latebit prorſus, an propoſitio ipſa vera ſit, num autem falſa.

Quamobrem ſi termini Propoſitionis illius, de qua judicium eſt promendum obſcuri fuerint, vel ambigui, poſtulare ab iis debemus quibus cum agimus, ut illos explicent; videlicet clare nitideque definiant quid per eos nobis ſignificare voluerint.

§. XII.

SI perceptis terminis Propoſitionis affirmativae, nobis clare, diſtincteque reluceat, ideam praedicati in idea ſubjecti contineri, tunc propoſitio admittenda abſolute eſt tamquam vera.

Idi-

Idipſum de Propoſitione negativa dicendum eſt, ſi perceptis illius terminis nobis manifeſte conſtiterit, Ideam *praedicati* Ideae *ſubjecti* repugnare.

Utriuſque canonis ratio perſpicua ſe offert; ut primum enim utraque propoſitio ex ſuis terminis perſpicua nobis eſt, atque adeo plane digna quae a nobis firmiſſimo aſſenſu recipiatur, nullimode in ejuſmodi aſſenſu nos decipi dubitare debemus; repugnat namque, ut ea propoſitio falſa ſit, quae plane ad evidentiam veritati concors cognoſcitur. Merito itaque praeſtantiſſimus Philoſophus Tullius (a) *ut neceſſe eſt*, inquit praeclare, *Lancem in libra, ponderibus impoſitis, deprimi, ſic animum perſpicuis cedere. Nam quomodo non poteſt animal ullum non appetere id, quod accomodatum ad naturam appareat, ſic non poteſt objectam rem perſpicuam non approbare.*

§. XIII.

PErceptis perinde terminis, ſi nihilominus, neque illorum connexio in Propoſitione affirmativa, neque eorum pugna in Propoſitione negativa nobis clare evidenterque conſtiterit; vel neganda eſt, vel cohibendum eſt judicium, donec habitudo ipſa terminorum palam fiat. Tunc enim ſola non ſufficit terminorum per-

(a) Lib. IV. QQ. *Academ.* Cap. 12.

perceptio, ut propoſitio nobis vera appareat, atque adeo ut illi mens noſtra citra errandi periculum aſſentiatur.

Porro ejſumodi habitudinem nullo pacto poſſumus compertam habere, niſi nexum, ſeu vinculum, quod ſubjectum inter & praedicatum intercedit aeque exploratiſſimum cernamus. Triplici autem ex capite hi nexus, haec vincula; è *ratione* nimirum *experientia*, nec non *auctoritate* profluunt, quorum vim unamquamque ſeorſum, ut probe connexionem memoratam percipiamus, funditus a nobis intelligi neceſſe eſt. De tribus hiſce fuſius pertractabimus cum de Analytica methodo ejuſque ſummopere neceſſariis legibus a nobis erit agendum. Quae ſane leges conſentaneum modo eſt, ut attento conſulantur ſtudio, & expendantur.

§. XIV.

HActenus de propoſitionum certitudine a nobis ſunt Canones ſtatuti; deinceps vero de *probabilitate*, aut *improbabilitate* nonnulla. Ac primo cum de comparanda duarum ſibi mutuo adverſantium propoſitionum *probabilitate* vel *improbabilitate* res eſt, cavere ſummo ſtudio neceſſe habemus, ne diverſi generis ea ſint momenta, ex quibus abſoluta utriuſque partis *probabilitas*, aut *improbabilitas* derivatur. Si nimi-

rum una comparationis pars ex ratione totum ſui pondus atque vim mutuetur, altera vero ex una auctoritate tota pendeat, illegitimum prorſus eſt judicium, niſi ad rationem pro definienda dirimendaque lite confugiamus.

§. XV.

PRopoſitioni probabili aſſentiri quidem poſſumus; verum non adeo firmo, conſtantique aſſenſu, ut omnis plane formido excludatur. Etenim cum hujuſmodi propoſitio non ita nobis vera reluceat, ut plane conſtet, falſam illam eſſe non poſſe, non adeo firmiter adhaerere illi mens poteſt, ut metuere nequeat, quin in ea admittenda fallatur. Jure tamen aſſentiri ipſi propoſitioni licitum nobis erit; quia quum veritati valde proxima (quamvis illi non plane conſona) ipſa nobis appareat, illud in ea praevalet, quod ex lege naturae mentem noſtram ad aſſenſum occulto quodam veritatis conatu permovet atque determinat.

Ita vero aſſentiri neceſſe eſt, ut tamen nulli propoſitioni probabili aſſenſus ſit noſter accomodandus, niſi prius quanta illius ſit probabilitas, exactius quoad poteſt fieri definiatur. Ut enim prudenti acquieſcamus aſſenſu rei cuipiam propoſitae probabili duntaxat, pro menſura probabilitatis, qua gaudet propoſitio, noſmetipſos temperemus oportet.

Uberius fortaſſe dicta haec a nobis fuiſſe quam praeſcripta brevitas poſtulabat, ipſa experientia modo comperivimus. At quaecunque de variis propoſitionum generibus explanari poterant ipſam Orationis prolixitatem ex eorum utilitate compenſare poſſe non immerito exiſtimabam.

Reliquum eſt igitur, ut ad utiliora tradenda animum convertamus, atque abſolutiſſimam *de judicio* numeris omnibus Tractationem edendam curemus, ne quid hac etiam in parte, quod ad emendandam mentem requiritur deeſſe conqueri forte valeatis.

SECTIO III.

Animadverſiones ac praecepta perutilia quaedam pro ferendo judicio de iis, quae ſenſuum auxilio nobis innoteſcunt.

QUoniam ut Ariſtoteles monet apud Euſebium recte philoſophantur ii, *qui tum ſenſus tum rationem in rebus cognoſcendis, adhibent*; (a) idcirco animadvertenda hic nonnulla, ac praecepta quaedam perutilia tradenda curavi, quae in ferendo de iis rebus

 judi-

(a) Lib. XIV. *de Praeparat. Evangel.* Cap. 17.

judicio, quae ſenſuum miniſterio ipſi cognoſcimus, principiorum loco haberi poſſunt. Senſuum autem nomen in latiſſima earum, quae nobiſcum connatae ſunt, cum externarum, tum internarum ſentiendi virium appellationem uſurpamus, ex utroque namque capite quemadmodum perceptiones noſtras prodire alibi conſtituimus; Ita ſenſuum omnium vehiculo tandem judicare de iiſdem compellimur.

§. I.

PRimo itaque de iis, quae oculorum ope percipiuntur conſentaneum eſt, ut diſſeramus; quod viſus reliquos ſenſus ordine, dignitate, & amplitudine ſua excedere comperiatur. Quidquid igitur oculorum miniſterio, ſi recte diſpoſiti illi, optimeque valentes ſint, perſpicue, diſtincte, atque conſtanter a nobis percipitur, phyſice certum nobis eſſe debet, atque adeo firmo aſſenſu probari; alioquin ipſemet Deus, qui nobis conſpiciendi vim contulit, erroris deceptioniſque noſtrae auctor eſſet. Attamen, ut ſcite admodum Clar. Malebranchius (a) animadvertit, quum nequaquam viſus noſtri teſtimonio ad rerum veritatem tenendam, ſed tantum ad vitae conſervationem fidere debeamus, uſuvenire idcirco ſaepe ſolet, ut praecipiti judicio de corporum nobis objectorum

(a) *De inquir. verit.* Lib. I. Cap. 6.

ſtorum quantitate, figuris, motibus, luce & coloribus decernamus, firmiſſime putantes haec omnia actu exiſtere qualia nobis apparent: In quo profecto criterio decipi nos luce ipſa meridiana clarius liquet; inſpecta cumprimis animalculorum illorum exigua mole, quae vix nudis oculis conſpici valent. Horum ergo tenuiſſima magnitudo nulla oculorum ludificatione in retinae noſtrae fundo pingitur adamuſſim; attamen non ejus eſſe figurae proinde cenſendum eſt, quum microſcopiorum ope ampliora illa cernantur; cruribus nimirum, pedibus oſſibuſque, quibus crura ſubſtententur inſtructa; quum ſatis quoque perſpicue ac diſtincte muſculi, tendines, fibrae aliaeque, quibus animantia reliqua conſtant partes appareant: Si vero oculi noſtri microſcopiorum inſtar eſſent conformati, de ipſa corporum magnitudine, alia prorſus ratione judicaremus. Quicunque ergo oculorum nunciis freti; corpora eandem, quam oculis uſurpant, habere magnitudinem audacter aſſererent, hallucinarentur haud dubie: Quapropter horum moniti exemplo teneamus, nos de objectorum, quibus circumdamur, quantitate eſſe per quam incertos & viſu noſtro nihil poſſe comperire, praeter relationem, ſeu potius corporum iſtorum cum noſtro convenientiam; ita tamen, ut oculi nunquam, nos vero ex judicii temeritate decipiamur.

§. II.

QUae de magnitudine dicta ſunt, de corporum figura aeque ſcripta eſſe volumus. Etenim non nos ſenſus fallunt, quando, ut alia praeteream, remum media ſui parte in aqua fractum nobis exhibent, eumque velut ad priſtinam redire figuram, quum aufertur, ipſi conſpicimus; malum quippe non habet animus internuncium, ſed malus ipſe eſt judex. Ille ſiquidem, ut praeclare advertit S. Auguſtinus (a), *pro ſua natura non potuit aliter in aqua ſentiri; ſi enim aliud eſt aer, aliud aqua juſtum eſt, ut aliter in aere, aliter in aqua ſentiatur*. Immo falſitatis potius argui ſenſus noſtri jure deberent, ſi remum media ſui parte in aqua demerſum plane rectum nobis oſtenderent.

§. III.

SEd non modo circa objecta viſibilia oculis ſuis fidunt homines, verum etiam circa inviſibilia frequentius; quae namque minime valent intueri continuo non exiſtere falſo arbitrantur, oculis perſpicacitatem pene infinitam arrogantes. Quia ex. gr. aeris, flammae, multo magis lucis, alteriuſve cujuſpiam ſubtilioris materiae particulae ipſos fugiunt, vel non exiſte-

(a) Lib. III. *contra Academic.*

xiſtere, vel nulla vi aut actione pollere facile autumant. Sic negant plerique internas mixti corporis haſce particulas jugi motu torqueri, eaſque ex illius poris continuo erumpere, & quaquaverſum diffundi; propterea nimirum, quia neque inteſtinum ejuſmodi motum in corporibus videant, neque fumoſam illam evaporationem nudis oculis cernant: Unde fit, ut ad qualitates occultas, facultateſve imaginarias, haec omnia effecta, quorum particulae illae imperceptae ſunt cauſa, explicaturi confugiant.

Quamobrem non debent falſa cenſeri, quae ſenſibus neutiquam objiciuntur, niſi prius certo nobis conſtiterit, ejus ipſa eſſe naturae, ut nequeant eſſe vera, niſi ſenſibus percipiantur.

§. IV.

SI praecipti judicio in conſpiciendis objectis fallimur, non minus perinde in reliquis ſenſationibus; odoris nimirum, ſaporis, ſonitus &c. errare exploratum eſt, quoties eorum titillatione dolorem, aut voluptatem in corporis noſtri ſenſoriis ineſſe putamus. Quod equidem praejudicium, ut a nobis propulſemus, operae praetium eſt ut nonnulla prae oculis inter ſe probe diſtincta ſtatuamus; ut ſcilicet primo actionem objecti, & in calore ex. gr. motum particularum ignis in fibras manus a

ſenſorii paſſione, hoc eſt ab agitatione fibrarum manus orta ex ignearum particularum impreſſione perſpicue ſecernamus: Deinde vero organi ſenſorii paſſionem; ideſt fibrarum manus agitationem ex particularum ignearum impulſione prodeuntem, actionemque objecti modo commemoratam a perceptione ſeu *a paſſione animae* ad eum dolorem attendentis; quoties manus igni comburenda admoveatur; nec non *a judicio*, quo mens exiſtimat id quod ſentit in manu aut igne verſari, accurate diſtinguamus. Quatuor haec, ut cuique patet, longe diverſa ſunt, nec tamen vulgo diſtinguuntur. Ex quatuor itaque hiſce diſtincte aeque ac breviter demonſtrandis deinceps fore confido, ut univerſa, quae de ſenſationum erroribus inter judicandum contingere valent in aperto locentur, atque a praeſcriptis quibuſdam, ne decipiamur, legibus minime ſimus receſſuri.

Quod primum ergo a nobis in unaquaque ſenſatione confundi ſolet, eſt objectorum actio in extimas corporis noſtri fibrillas: Plerique namque homines, ac ii praeſertim, qui expolitiori Philoſophiae operam non dederunt, calorem in igne, a quo excitatur eſſe arbitrantur, lucem in aere verſari, ac colores in objectis coloratis putant inſidere; de corpuſculorum vero motibus, qui ejuſmodi excitant ſenſationes ne per ſomnium quidem cogitantes. Atque hujuſce erroris cauſam ex eo repetendam

eſſe

eſſe exiſtimo, quod minutiſſima impellentia corpuſcula oculorum aciem prorſus effugiant: Dolorem in acu, qua pungantur latere haud equidem exiſtimant, quemadmodum calorem eſſe in igne opinantur; quia nempe acus, & ipſius actio ſub viſum cadunt, ligni vero particulae ex igne emiſſae atque inteſtina earum commotio, quibus corpora noſtra vivida ſenſatione laeduntur, viſum nequaquam feriunt. Quum itaque nihil conſpiciamus quod manus ex. gr. noſtras attingat, dum calefactioni adſtamus, calorem tamen in iis ſentiamus, eum idcirco in ipſo igne morari ſponte noſtra judicamus. Ad hoc judicium hac etiam de cauſa impellimur; ex dolore nimirum ſive combuſtione, quae mentem noſtram corporis noſtri commemoratis partibus attentiſſimam efficiant; cujus equidem attentionis vi mens ipſa ab alia quavis cogitatione deterretur; quo pacto ſenſationem ex combuſtione ortam objecto ſibi praeſtantiſſimo arrogat. Quia vero paulo poſt combuſtionem veſtigia quaedam in parte combuſta reliquiſſe comperimus, validiori experimento quodammodo combuſtionem in manu reipſa torquentem credere compelluntur.

Quod ſecundo in unaquaque ſenſatione ſecernendum eſt a reliquis, in ipſa fibrarum nervorum noſtrorum commotione, quae ad cerebrum uſque pertingit, totum ſitum eſt. In hoc autem paſſim errare homines idcirco exiſtima-

ſtimare debemus; quod nimirum ejuſmodi commotionem cum mentis noſtrae ſenſatione confundant; eamque, quam ignis excitat in manus noſtrae fibrillis cum ipſa caloris ſenſatione ad quam mens advertit, tanquam una eademque res eſſet, confuſe uſurpant. Id ut aliis exemplis exploratum fiat, ex colorum in nervos opticos noſtros impreſſione oſtendi poteſt. Etenim ſumatur oculus bovis recens jugulati, detrahantur pelliculae illae, quae pupillae adverſae ſunt juxta retinae nervos earumque loco charta quaedam valde pellucida ſupponatur: Hoc facto oculus ille feneſtrae alicujus foramini admoveatur, apteturque; ita ut pupilla aeri objiciatur, poſterior vero oculi pars includatur intra cubiculum; quod ita clauſum & obturatum eſſe debet, ut perobſcurum fiat: Tunc omnes objectorum, quae extra cubiculum poſita ſunt, colores in interna oculi parte reſperſos conſpicies, ſed ita tamen ut objecta appareant reſupina. Ex quo experimento ſatis patere autumo, ingentem fieri in retinae fundo nervorum commotionem, qua tota colorum deinde in mente noſtra ſenſatio peragitur, ut propediem oſtendemus.

Itaque plerique hominum quia id genus commotiones, quibus viſibilia objecta retinam percellunt, numquam ſentiunt, nervos illos idcirco non moveri, nec coloribus, quos vident, obduci falſo arbitrantur; immo externa

objecta

objecta duntaxat hiſce coloribus miſceri cenſent. Quae de coloribus levi enarratione diximus, de ſaporibus, odoribus, caeteriſque ſenſationibus perinde multiplici experimento confirmari poterant: Ea tamen brevitatis habita ratione conſulto praetermittimus, de iis in Phyſices Praelectionibus noſtris fuſius acturi. Ut igitur rectum lucis & colorum, caeterarumque qualitatum ſenſibilium feratur judicium, ſenſus coloris a motu nervi reticularis ſedulo diſtinguendus eſt, animadvertendumque, motus & impulſiones eſſe proprietates corporum, quae proinde in objectis & in organis ſenſuum eſſe quidem poſſunt; at vero lucis colorumque ſenſationes, mentis modificationes eſſe quaſdam ex mox dicendis conſtabit.

Quod tertium praeterea in unaquaque ſenſatione reperitur, ſeu id quod ſentimus quum ex. gr. prope ignem nos calefacturi moramur *illa eſt modificatio mentis noſtrae orta ex eo, quod nimirum in corpore cui arctiſſime copulata eſt, illa agatur*. Modificatio hujuſmodi jucunda percipitur quum id, quod in corpore agitur circulationi Sanguinis, caeteriſque vitae animalis functionibus explendis admodum confert; moleſta illa vero & a priori prorſus diverſa quum id quod in corporis noſtri ſtructura fit, ipſum torquere, & comburere valeat; quando ſcilicet ex inteſtino, & ipſo quidem violento, partium ejuſdem corporis motu excitato fibrae nonnullae

lae aut nervi dilacerari poſſunt aut diſrumpi; idque illud eſt, quod *dolor* ſive *uſtio* vulgo dici uſuvenit: Quae omnia reliquis ſenſationibus accomodari jure debent. In hoc vero quantum hominum vulgus errare judicando reipſa comperiatur pene incredibile apparet. Etenim falſo & inconſulto ſeducti conſilio perpetuo opinantur, vel in rebus ſenſibilibus, vel in ſenſoriis corporis commemoratas perceptiones reſidere, quin ullam menti aut animae, earum percipiendarum vim velint tribuere. At tamen ab unoquoque recte ſentiente negari profecto nequit, illum ex. gr. cujus manus candelae flamma uſtuletur, dolorem quo tunc afficitur a luce, colore, ſono, ſaporibus, odoribus, voluptate, atque ab alio quovis dolore non apprime diſtinguere: Eum praeterea dolorem ab admiratione, deſiderio, ac amore facili negotio diſcernit: Iterum illum a quadrato, circulo, & a motu quam facillime dignoſcit. Quid plura? Illum denique ab iis omnibus, quae non ſunt ille dolor diverſum ſentit. Si autem nullam doloris cognitionem mente perceptam haberet, quanam quaeſo ratione illud quod ſentit ab omnibus modo recenſitis diverſum plane eſſe certo, & evidenter cognoſceret? Id igitur quod immediate ſentimus quum uſtionem in manu experimur, aut alio quovis in corpore afficimur, aliquatenus a nobis cognoſcitur. Si ergo ita diſtinguitur

non

non in ipſa flamma, non in manus fibris, dolor aut uſtio ſita eſt, ſed in mente reſidere dicenda eſt. Falſo itaque judicamus dum non eam diſcernimus ſenſationem in mente noſtra per uſtionem manus receptam; quam tamen ab actione objectorum in fibras manus nec non a vehementi earumdem fibrarum commotione, ut diſtinguamus neceſſe eſt.

Reliquum eſt ergo ut non ſolum ſenſationem in mente noſtra receptam a reliquis duobus tanquam illius modificationem ſecernamus, verum etiam ut de eadem ſenſatione judicemus.

Atque hujuſmodi illud eſt, quod quarto demum loco in unaquaque ſenſatione contingere ſuperius affirmabamus; quod tamen operae hic pretium eſſe exiſtimo, ut demonſtratum exploratumque habeamus, ne inter judicandum errore abripiamur aliquo. Error itaque, a quo paſſim hoc in negocio decipiuntur vulgares homines ac pejori Philoſophiae ſueti, in hoc nimirum conſiſtit, quod reliquos homines eaſdem de iiſdem objectis judicent habere ſenſationes: Exiſtimant ex. gr. omnes coelum intueri caeruleum, prata colore virentia, & cuncta denique objecta, qualia ipſi vident perinde contemplari; & ſic de caeteris qualitatibus ſenſibilibus. Ego vero auſim dubio procul aſſerere id genus ipſorum opinionem nullo legitimo niti fundamento: Et quamvis eos non poſſis erroris mathematicè convincere, poſſem

tamen

tamen id demonſtrare; quod ſcilicet, ſi non errent, id ſane fortunae acceptum referre debeant. Nec etiam deſunt rationes, quibus ipſos reipſa errare jure poſſim adſtruere. Ut hujuſce Propoſitionis veritas pateat, id quod ſupra dixi in memoriam revocandum eſt; ſenſationes nimirum ab ipſarum ſenſationum cauſis valde differre. Inde enim inferre licet, fieri poſſe abſolute loquendo, ut iidem fibrarum internarum nervi reticulares excitati eaſdem in diverſis hominibus ſenſationes haudquaquam excitent; ſive eoſdem non exhibeant colores; adeo ut contingere valeat, ut motus, qui in hoc ſenſationem caerulei excitaverit, in illo viridis, aut fuſci; ſive novam prorſus & quam nemo unquam paſſus ſit, ſenſationem producat. Id equidem fieri poſſe conſtat, nec contrarium ulla ſolida ratione demonſtrari poteſt: Id vel demum apud omnes conſtat, eoſdem ſcilicet fibrarum motus, quae in eandem cerebri partem coeunt, eaſdem in omnibus hominibus excitare utique ſenſationes; ſi cerebri tamen organa, nervi, atque fibrillae eadem ratione ſint conformatae atque diſpoſitae: Si autem pro hominum multiplici varietate diverſimode prorſus eorum quoque organa exemplis experimentiſque pene innumeris, contexta eſſe demonſtrari valeat, jam concludendum ſupereſt, nec eaſdem ex iiſdem objectis omnes excipere ſenſationes debere: Ictus pugni ex. gr., quibus

cha-

charitatis ergo, & in mutuae benevolentiae ſymbolum ſe ſe bajuli ac ruſticani homines contundunt, alios homines poſſent graviter laedere. Idem igitur ictus varie hominem movet robuſtum, varie tenellum puerum, diverſimode foeminam delicatulam, ac in iis proinde longe diverſas excitat ſenſationes. Quum itaque forte duo non exiſtant homines, quorum organa eodem prorſus modo conformata dici poſſint, vix quoque duos reperias homines eadem objecta eadem prorſus ratione ſentientes.

Nihil praeterea hominibus familiarius contingit, quam ut idem cibus, aut idem corpus nares afficiens aliquibus arrideat, aliis vero diſpliceat quam maxime; quibuſdam gratum, quibuſdam ingratum; aliis ſuave, aliis tetram exhalans Mephitim videatur; Immo ſaepe ſaepius quod alicui gratam odoris ſaporiſque ſenſationem excitat in aliquo vitae ſtatu, idem in alio tempore aliove ſtatu ejuſdem hominis tetri odoris moleſtique ſaporis ſenſum gignit. Ita mulieres pallentes & obſtructae ex. gr. ea ſaepe avidiſſime vorant, quae iiſdem morbo illo non laborantibus nauſeam, & ſtomachum movent; ita aegrotans cibos illos moleſtos inſuaveſque experitur, quos dum bona gaudet valetudine appetere ſolet, iiſdemque oblectatur; ita quos cibos quis faſtidiebat juniori aetate, eos provectiori adamat, gratiſſimoſque experitur; aut è converſo: Ita denique Foeminae

affe-

affectionibus hiſtericis laborantes, iis corporibus, dum ea olfaciunt, recreantur, quae moleſtiſſima faetidaque, poſtquam convaluerint, ea eſſe teſtantur.

Nec aliunde eſt profecto ſtupenda illa inclinationum varietas, quae inter homines deprehenditur: Alii namque in muſicam tota voluptate rapiuntur; alii vero illam negligunt: atque illud magis eſt admirandum, quod nempe inter Muſicae amatores alii hoc, alii vero illo muſices genere delectantur; pro varietate propemodum infinita partium conſtituentium organa auditus, Sanguinis, & Spirituum. Neminem ferme latet quantum ex. gr. Gallorum Muſica ab ea, quae inter Italos vigere auſcultatur; quantum vero haec a Sinenſium, & reliquarum gentium Muſica & concentu differat; ac proinde quantum ſenſationes etiam ex variis Muſices generibus prodeuntes ad invicem diſcrepent. Quid plura? Diverſis etiam temporibus eodem concentu ſive eadem Symphonia varie nos ipſi afficimur: Etenim ſi imaginatio ſpirituum rapide fluentium copia aeſtuet, tum muſica licentioſa & diſſonans, molliori atque ad mathematicam normam exacta arridet magis. Id ſane experientia probatum, ratione confirmare difficile equidem haud foret, niſi a prolixiori quam par ſit oratione abhorreremus.

Su-

Supereſſe igitur reliquum mihi ex tot expoſitis dicendum videtur, ut quas ope ſenſuum perceptiones comparamus, eas equidem juxta quatuor tradita a nobis capita diſtinguamus, ne confuſe de illis judicium ferentes cum imperitorum multitudine decipiamur. Objectorum ſenſibilium cum primis actionem, in ſenſoria noſtra ab organorum eorundem paſſione ſecernamus: Deinde ab hiſce duobus tum mentis perceptionem de unoquoque objecto, ſeu modificationem; tum de iiſdem rebus perceptis judicium accurate praecidamus; nec dubito quin rectum ſimus prolaturi de iiſdem univerſis judicium.

§. V.

Reliqua conſulto praetereo caeterarum ſenſationum exempla; de ſonitu nimirum, & tactu; eo quia ſub iiſdem animadverſionibus mox allatis clauduntur; quas ſi alta memoria conſtituamus, ac ſaepe prae oculis habeamus, illas quoque ſenſationes nullam nobis errandi occaſionem paraturas eſſe certo confido.

Jam ergo quae hactenus a nobis dicta ſunt nonne ſatis habent momenti, ut ſuſpicionem ſcrupulumque incorruptis de ſenſuum veritate judicibus iniiciant, propter quae id ſaltem ab iis impetrare liceat, ut ſenſibus iiſdem aliquantulum diffidere diſcant, ac dubitare incipiant

cipiant antequam ea ſuper re judicium pronuncient. Re equidem vera ſi ſemel de ſenſuum teſtimonio dubitare non reformident, aſſenſum facilius cohibebunt; ac demum a dubitatione (ſuarum ſenſationum facta analyſi) tum ad errores, quibus antea fuerant obnoxii, minori negotio praecavendos tranſibunt, tum ad tutum tandem earum judicium ſe perveniſſe gloriabuntur.

§. VI.

At quemadmodum ſenſuum externorum occaſione decipi nos haud raro contingit, niſi praejactis legum fundamentis fulciamur; ita etiam internarum virium mechaniſmo atque ab imaginatione praeſertim (de cujus fallaciis paulo uberius hic ſumus acturi) in errorem induci facile poſſumus: Tanta eſt enim inter ſenſus & imaginationem relatio & convenientia, ut ſeparari & ipſa ab hac Tractatione non debeat. Sed ut Imaginationis Idea, quemadmodum ratio poſtulat, comperta fiat, eam dicimus imaginandi vim in una facultate animae conſiſtere, qua mens pro lubito phantaſmata objectorum ſenſibilium ſibi cudit, & graphice quodammodo pingit; eas videlicet ope ſpirituum animalium diverſimode afficiendo cerebri partes, quae hujuſmodi animae facultati inſerviunt.

Hinc

Hinc non obſcure liquet, ejuſmodi facultatem, qua mens rerum imagines ſibi poteſt efformare, duo in ſeipſa complecti; unum ſcilicet, quod ab ipſa mente pendet, alterum, quod pendet a corpore. Prius eſt actio & imperium voluntatis; poſterius vero obſequium ſpirituum animalium, qui haſce inſculpunt imagines, nec non fibrarum cerebri miniſterium, quo eadem imprimuntur phantaſmata. Verum illud animadvertendum cenſeo; fibras cerebri nimirum multo vehementius agitari objectorum impreſſione, ac ſpirituum animalium concurſu, quam ſola rerum imaginatione per eoſdem ſpiritus animales excitatas; eo quia externa objecta utpote praeſentia ad vividiorem, quam longe poſita & per imaginationem adſcita voluptatem aut dolorem extimulent.

In iis tamen quorum ſpiritus animales ob jejunia, vigilias, febrim ardentiorem, ſive propter aliam quamlibet cauſam, concitatiſſimi ſunt, quandoque contingit, ut ſpiritus illi internas cerebri fibras non minori vehementia commoveant, quam objecta externa ciere ſoleant; adeo ut homines ſic affecti id ſentiant, quod tantum imaginari deberent; ac objecta ob oculos ſe habere putent, quae in una earum imaginatione verſantur. Ex quo etiam luculentius patere cenſeo; ſenſus ſcilicet & imaginationem, circa ea quae in corpore noſtro

peraguntur, haud ſecus inter ſe differre, quam, ut effantur Scholaſtici, *ſecundum magis & minus*.

§. VII.

Ea itaque ferme ratione, qua externorum objectorum in ſenſoria impulſu varias in cerebro ejuſque fibrillis patiuntur homines mutationes, pro varia earundem conformatione, diſpoſitione, pro varia etiam aetate, ut paulo ante demonſtratum conſtituimus; eadem inquam univerſae, quae in phantaſia, & in mente deprehenduntur, mutationes contingunt, atque eaedem ab illis, quae in ſpiritibus animalibus, & in fibris cerebri fiunt, pendent neceſſario. Porro plurimae exiſtunt cauſae, quae peculiarius hominum imaginationem immutare ſolent; variae nimirum ipſorum fortunae, varia munera & negocia, uno verbo diverſa atque inter ſe oppoſita vivendi inſtituta. Atque his levi calamo expendendis operae praetium eſt ut immoremur; quippe quae innumerabilium ferme errorum totidem veluti ſint vehicula & inſtrumenta; quum ſcilicet unuſquisque de rebus juxta conditionem ſuam decernere velit atque imaginari. Nec opus eſt, ut opinor, nos quibuſdam afferendis cauſis minus fraequentibus inſiſtere; cujuſmodi ſunt morbi violenti, caſus inſperati, quae in cerebrum ita violenter agunt, ut illud totum pertur-

turbent; tum quia haec raro contingere experiamur; tum etiam quia hominum ita affectorum errores craſſiſſimi adeo comperiantur; adeoque manifeſtae ſtultitiae pleni, ut contagio ſuo neminem poſſint inficere.

Verum ut clarius univerſas mutationes, quas edunt variae hominum conditiones in eorum imaginatione tum exploratas habeamus, tum de iiſdem recte decernere poſſimus, commemorare omnino neceſſe eſt, nos haud ſecus objecta imaginari non poſſe., niſi eorum phantaſmata in cerebro excitantes; haſce vero imagines nihil aliud eſſe praeter veſtigia a ſpiritibus animalibus cerebro impreſſa; unde fit ut quo altius inſculpta veſtigia illa, a quo ſaepius vehementiuſque ſpiritus animales eandem inierunt viam, eo vividius res imaginemur: Spiritus nempe eum locum longe facilius ſubeunt, per quem jam multoties tranſierunt, quam loca illa propinqua, per quae vel nunquam, vel raro admodum tranſierunt. Atquae haec eſt cauſa fraequentior falſitatis & confuſionis idearum noſtrarum. Spiritus quippe iidem animales objectorum externorum actione, vel etiam mentis imperio ad id directi, ut in cerebro certa imprimant veſtigia, alia ſaepe edunt iſtis quidem aliquatenus ſimilia, ſed quae tamen iſtorum objectorum non ſunt veſtigia, quae mens ſibi pingere propoſuerat; quia nimirum ſpiritus animales aliquam

in locis cerebri, qua tranſeundum erat, reſiſtentiam quodammodo paſſi, a via proinde deflectunt ſaepius, ut ſimul in alia idearum nobis familiarium veſtigia irrumpant. Adſunt exempla iſtorum manifeſtiſſima & maxime ſenſibilia. Qui viſu ex. gr. non omnino debili pollent, dum lunam adſpiciunt, binos oculos, naſum, os, integram, uno verbo, hominis faciem ſe ſe videre imaginantur: Nihil tamen illorum exiſtit in luna: Multi aliud diverſum prorſus in ea conſpiciunt. At vero qui lunam revera talem eſſe, qualem illam vident, arbitrantur, errorem ſuum facile agnoſcent, quum illam perſpicillis quantumvis parvis adſpexerint; vel ſi deſcriptiones, quas de illa ediderunt viri clariſſimi, conſulant. Ratio vero potiſſima cur faciem in luna, non tamen maculas irregulares, quae in ea reipſa exiſtunt, nobis conſpicere videamur, in eo profecto tota ſita eſt; quod nimirum faciei veſtigia, quae in cerebro noſtro fraequenti & attentiſſimo vultuum diverſorum conſpectu fuere inſculpta altiſſime inhaereant; adeo ut ſpiritus animales in aliis cerebri locis vim patientes, a via, quam luna, dum eam adſpicimus lumine ſuo dirigit, facile ita ſe detorqueant, ut veſtigia illa, quibus ideae faciei alligatae ſunt, continuo percurrant.

Quibus etiam accedit, ideo videlicet lunam ita nobis videri, quod ejus, quae nobis

ſaltem apparet, magnitudo non admodum a capitis humani figura in aequa diſtantia poſiti diſcrepet; unde fit ut impreſſione ſua veſtigia illa peragret, quae magnam cum veſtigiis naſum, os, oculoſque repraeſentantibus habent ſimilitudinem; atque eo pacto ſpiritus ad id determinantur ut curſum ſuum in veſtigia faciei inflectant.

Alii quoque exiſtunt, qui in luna videant hominem equo inſidentem; alii vero alia; quia nempe imaginatione ipſorum vivide quorundam objectorum, actione affecta, eorundem veſtigia, cujuslibet rei ope, quae cum illis conformitatem habet, denuo excitantur. Neque ſane aliam ob cauſam currus, homines, leones, & alia quaelibet animalia in nubibus cernere nobis videmur; quod figurae ejuſmodi nubium, animalium ſimilitudinem aliquatenus referant: atque ii praeſertim, qui diu noctuque iiſdem pingendis ex profeſſione incumbunt, incredibile dictu eſt quam longe vehementius ea cuncta ſibi comminiſcantur.

Nullus profecto orationi huic ſtatueretur pro aequitate finis, ſi pene abſque numero id genus exempla conglobare ſtuderem, neque illud quod potiſſimum eſt, in comperto collocarem; ut nimirum praeſcripta legum nonnulla ſancirentur, quibus, quoad nobis liceat, imaginationis falſa caveantur judicia, atque, eidem intemperanti froena ad veritatis praeſcriptum tempeſtive iniiciantur.

§. VIII.

Quamobrem ne temere noſmetipſos pravis imaginationis noſtrae vel aliorum judiciis committamus, illud primo attentius quam dici valeat pervidendum eſt, atque ut hoc aſſequamur peculiare ſtudium a nobis eſt impendendum; ut antequam de rebus phantaſiae ope partis aliquid decernamus, ſerio in memoriam rovocemus tum maximam illam facilitatem, qua imaginatio objecta uſitata ſibi pingere prompto ſpirituum animalium concurſu conſueſcit; tum difficultatem qua inuſitata ſibi repraeſentat, ex qua animadverſione judicia quaelibet cohibere poſſimus, donec certo nobis conſtiterit ea, quae a nobis vel ab aliis imaginata expenduntur, non equidem ex variis ac multiplicibus hominum affectibus, inclinationibus, conditionibus, officiis, ſtudiis, ſed ex una rerum veritate re ipſa pendere.

§. IX.

Fugienda quam maxime ſunt, ac pene cum irriſione excipienda eorum, quae foeminae plerumque imaginantur, judicia. De ritu ſane circa rem veſtiariam definire, de eleganti ac compta loquendi, ambulandi, ſaltandi, aliorumque id genus ratione, mulierum eſt atque

in hiſce apprime obeundis peritiſſimae merito praedicari debent: Circa haec viros ſcientia, judicio, ſolertia, & ſagacitate ſuperant; quidquid etiam geſtu diſcernitur ad ipſas pertinet. At vero fatendum eſt (verbo abſit injuria) veritatibus paulo difficilioribus detegendis ipſas fore ineptas plerumque; ne univerſas plane impares appellem. Enimvero quum nihil nos ediſcere poſſe comperta res ſit, niſi in id attentionem noſtram defigamus; conſequitur etiam, ac neceſſario adnexum eſt vinculo, ad aliquid nequaquam nos attendere poſſe, niſi illud imaginemur ac cerebro vivide pingamus: Ut autem objecta imaginari probe valeamus, neceſſe eſt quaſdam inflecti partes, necnon attemperato quodam affici motu, quo veſtigia quibus objectorum ideae alligantur, rite valeant efformari. Si igitur cerebri fibrae nimium flexiles, eaeque delicatiſſimae ſint (quemadmodum foemineas ita eſſe conſtitutas periti omnes conſentiunt), adeo violens in iis difficilioribus comperiendis excitatur impulſus, ut tota ferme imaginandi vis continuo langueſcat.

§. X.

REpellenda eorum hominum adultorum ſunt judicia, ſi ipſi nimirum ad veritatem circa res difficillimas inveſtigandam a teneris, ut ajunt, unguiculis navi, ſolertes, laboriſque pa-

tien-

tientes eorum imaginationem probe infle&ere non aſſueverint: Etenim a ſoliditate firmitateque illa, quae aetate adulta in fibris cerebri tunc viget, repetenda eſt errorum, ut ita dicam, ſoliditas ac momentum: Quanam profecto ratione Peripateticus ex. gr. nonniſi deteriori Philoſophiae aſſuetus atque obduratus; in qualitatibus ſcilicet, in quatuor ſuis elementis, in materia & forma, aliiſque imaginandis tricis ſemper intentus; quanam inquam ratione, ſaniora & accuratiora alia quaepiam phantaſia ſibi cudere poterit, quin perpetuo niſu ad vetera maleque olentia Peripateticorum principia imaginanda detorqueatur? Pluribus ſane exemplis immorari non placet, ne propter ſermonis copiam a brevitatis inſtituto nimium diſtrahamur.

§. XI.

QUae de adultis dicta modo ſunt, de quinquagenariis Senibus uſque ad decrepitam aetatem ex adverſa ratione adſtrui debent: Ipſorum quippe cerebri fibrae multo minus flexiles ſunt, ac paulatim ſpiritibus animalibus deficientibus, quibus nova formantur veſtigia, eorum proinde imaginatio intercidit, ac ſepe etiam in errores multiplices labitur. Quapropter niſi ſenes ex eorum ſint numero, qui longo rerum uſu, cultiorumque literarum experimen-

mento praeſtantes excellant, non admodum tuta & ab erroribus remota eorum videri debent judicia atque conſilia.

§. XII.

ILlae ergo duntaxat Imaginationes abſque fallaciae ullius formidine recipiendae ſunt, quarum fibrae ſufficienti donantur ſoliditate, nec immodica ſpirituum animalium copia aeſtuant; quae deinde ab infantiae praejudiciis aliiſque educationis vitiis expoliatae ſe praebent, quae demum claris diſtintiſque mentis notionibus incumbentes perpetuae meditationi ſtudent. Haſce ergo difficulter admodum halucinari poſſe in judiciis omnibus exiſtimo, quas proinde ut comparemus tota contentione curandum nobis eſt.

Satis itaque de earum rerum erroribus, quae ſenſuum auxilio nobis innoteſcunt actum fuiſſe puto, atque hinc ad alia; nec ſane minoris praetii aut momenti; confeſtim tranſitum inſtituo.

SECTIO IV.

Ea exponuntur reliqua adverſus rectum judicium vitioſa incommoda, a quibus Philoſophos maxime decet abhorrere.

Nihil profecto aut moleſtius homini Philoſopho aut pejus evenire puto, quam ſi iis diligenter poſthabitis errorum deceptionumque principiis, quae hactenus nimis fortaſſe effuſa oratione praecavenda expoſuimus, in alia dubio procul deteriora eum labi contingat. Illa inquam animi pathemata; odium nimirum, amorem, ſpem, timorem, ingentem aliorum opinionem, contemtum &c. a quibus frequens prodire ſolet occaſio falſa judicia de rebus ferendi; & ipſa quidem ſaepe de graviſſimis rebus maximique momenti. Haec ſane illa ſunt, quae ſtaterae, vel ſi mavultis, judicii aequilibrium doloſe immutant, & ex quorum praeſcripto de pleriſque decernimus; eadem illa, quae in ſententia ferenda primo conſulimus; quae latam demum ſententiam jubent eſſe quam ratiſſimam.

Neque vero arbitrandum eſt, nos dictis fidem facturos alia plane impervia, quam quae

quo-

quotidiana ſunt penes oculos noſtros exempla expiſcari oportere; id quippe perinde eſſe videretur, quam rerum ubertate relicta eo nos velle properare, ubi ſumma caritas quaquaverſum dominatur.

§. I.

Duplici autem ex fonte animi pathemata, & affectus, ſi potiſſimum paulo vehementiores ſint, judicia noſtra miſere adoriuntur, ac tranſverſe agunt. Examen rerum, de quibus judicandum eſt, primo praepediunt moleſtumque efficiunt: Secundo quaedam nobis optare faciunt, quedam vero ex adverſo refugere animo; ex quo fit, ut falſum pro vero, dubium pro certo homines amplectantur; aut è converſo; quemadmodum inferius patere ſatis ſuperque confido.

Ad primum quod ſpectat, cuique experientia compertum eſt, non poſſe nos ſerio maturiuſque de rebus cogitare, ut veritatem aſſequamur, cum affectus aliquis vehementer animum premit atque urget. Hinc qui animi ſolicitudine & angore quopiam laborant, ea deprehendere nequeunt, quibus ad ſerium tantum accuratumque examen viam ſternit, & munit.

Ad ſecundum vero quod attinet, latet neminem ita homines conſtitutos comparatoſque

eſſe,

eſſe, ut facile iis acquieſcant, & ab iis aegre admodum recedant, quae grata jucundáque experiuntur; ea vero reſpuant, refugiantque facile, quae aegre ferunt, quaeque incommoda & moleſta ſentiunt.

Jam vero manifeſtum eſt, ea nobis grata eſſe, jucundeque nos afficere, quae votis noſtris conſentanea ſunt & pathematibus admodum cohaerentia; ea autem ex adverſo moleſtiam nobis parere, & animi aegritudinem, incommodamque in nobis affectionem producere, quae votis noſtris & affectionibus adverſantur, cum iiſque pugnare ſentiuntur.

§. II.

Hiſce ergo generatim conſtitutis; quae certe axiomata ſunt penes eos omnes, qui humanam indolem & ſemetipſos noſcunt; conſequitur homines facillime id certum ducere, id perſuaſum habere, iis adhaerere enunciationibus, quae pathematibus ſuis conformes ſunt, & quarum falſitas per ſe ſe & prima fronte non pateat. Quare qui ita ſunt affecti, ii ſane videntur non ratione ſed voluptate de rebus velle decernere: Inde etiam manifeſtum eſt, hoſce ideo enunciationi alicui, rationive acquieſcere, aut eam reſpuere, quia enunciatio illa aut ratiocinatio eos delectant, jucundaque eis eſt; vel ingrata apparet, incommoda,

da, atque moleſta; non quia nitidiſſima atque ineluctabilis evidentia, tutiſſimaque ratio eam certo veram evincat, aut certo falſam.

Hinc ſi qui affectu judicant, ſi qui ideo enunciationem, ratiocinationemve aliquam amplectuntur, aut reſpuunt; quod nempe gratam ſentiant aut injucundam; ſi inquam qui ita judicant, a vero non aberrent, id caſu tantum fit, non ratione atque conſilio: Quod cum raro admodum contingere experiamur, neceſſario etiam conſequitur, eos paſſim decipi, qui in rebus judicandis, id quod optant quodque ipſis arridet, verum; id autem quod averſantur & diſplicet, falſum putant. Attamen quis hominum eſt, qui non hac prava definiendi de rebus methodo plerumque laboret? Perpauci profecto, atque rariſſimi.

§. III.

INter caeteros autem errores, quibus animi noſtri affectus occaſioni ſunt, ii potiſſimum ſunt accenſendi, qui paſſim oriuntur a fide aliorum auctoritati temere & inopportune adhibita, aut denegata. Enimvero animi affectus fraequentiſſime fidem noſtram hominibus immerito & inopportune conciliant, vel immerito & inopportune ab iis arcent: Atque hinc plurimi naſcuntur, & longe lateque propagantur errores, iique ſaepe graviſſimi & pernicioſiſſi-

cioſiſſimi. Si quis narret, & ſibi compertum affirmet, quod qui audit verum eſſe optat, continuo is dicenti fidem accomodat ſuam; tametſi veracitatis & cognitionis ejus qui loquitur, opportuna experimenta audiens non arripuerit.

Hinc aegroti ex. gr. qui ſalutem quamvehementiſſime expetunt, quibuſcumque ſive Medicis ſive Mulierculis, ſive Cerdonibus illam pollicentibus ſtatim facile credunt, eiſque obtemperant inconſulto. E' contra, fidem loquenti ſaepe homines temere detrahunt, ſi quis id afferat, quod eis nullimode arrideat, quod averſentur, quodque eorum vota & ſpem eludere ſentiant; ut ex. gr. amicos nimirum exercitus ab hoſtibus fuiſſe profligatos, amicos Duces & plurimi habitos in inſtituenda conficiendaque pugna ignave ac temere ſe geſſiſſe; aliaque id genus plurima.

Rurſus Amico & ſibi benevolo haud aegre homines aſſentiuntur & credunt; aegre tamen & invito animo inimico; quaſi non poſſet unquam amicus verum ignorare, decipi & decipere; inimicus vero veritatem noſcere verumque effari non poſſet.

Contemtus etiam & exiſtimatio, ingentiſve ſcientiae, peritiae, ingenii, candoris opinio, ſaepe hominibus aliquid affirmantibus fidem immerito conciliat, aut detrahit. Quum quidpiam afferunt, quum pronunciant ii, qui

a no-

a nobis deſpici ſolent, continuo fides eis denegatur; quum vero narrant ſententiamque ferunt ii, quos admiramur magnique facimus, facile eorum dictis acquieſcimus.

Ex eodem quoque fonte; ex admiratione nimirum, ingentique opinione temere & immerito concepta circa peritiam, ſapientiam, veracitatemque illorum, qui aſſerunt aut negant plurimi graviſſimique errores orti, & fuſe firmiſſimeque propagati ſunt. Hinc falſarum Religionum commenta atque inanium ſuperſtitionum monſtra a vaſtiſſimis gentibus complexa & venerata; hinc vaniſſimae hiſtoriae pro veris, virtutes pro vitiis habitae, & pro virtutibus vitia. Hinc futiles demum opiniones de rebus non ſatis cognitis vulgo receptae, nec non praejudicia vix credibilia, quae tum ad mores, tum ad ſcientias ſpectantia ſunt, turpiter nimium in varias Orbis Regiones irrepſerunt.

Et ſane hoſce errores univerſos ideo radices egiſſe ſuas jure affirmandum eſt; quod ſcilicet homines illos ab iis acceperint, quos ſummos Viros & praeſtantes, non illuſos, non mendaces non vana loquentes perperam & falſo opinabantur. Hac etiam de cauſa ex. gr. elapſis potiſſimum ſaeculis vulgo generatim ſtultiſſimus receptus fuerat error, & etiamnum apud plurimos obtinet; nobiles nempe viros ſibi illatas verbis injurias, aut inſuper contu-

melioſo aliquo facto irrogatas haudquaquam ulciſcentes turpi nota genus ſuum inurere, & familiae decus honoremque omnem foedare: Hinc qui injurias diſſimulant & aſpernantur, a pluribus exſibilantur & contemnuntur: Eadem ratione laedit falſa haec opinio, quod plerique majorum gloria & avitae nobilitatis commemoratione tum ad ultionem explendam, tanquam ad egregia facinora, ſe ſentiant extimulari; tum etiam quod Cives nobiles cultioribus litteris erudire, & ab ignorantia vindicare dedeceat; nullatenus autem otio tabeſcere, nullimode alea & libidinibus vitam conficere, ac variis demum id genus exercitationibus conterere dies.

Stultiſſimae pene abſque numero hujus generis opiniones, quas recenſere immenſum eſſet opus, hominum mentes nequaquam occuparent, ſi ab iis, quos magni faciunt, non traderentur, ſi a majoribus in natos majoribus obſequentes & nimium credulos quaſi per manus traditae non tranſmitterentur, aut ſi homines inopportunam fidem & incautam non adhiberent iis, qui caeteros antecellere exiſtimantur, quique caeteros perinde auctoritate, muneribus, atque aetate praeſunt.

Neminem profecto mihi ſuccenſere poſſe puto; quaſi provectioribus aetate Viris, atque iis praeterea, qui primum exiſtimationis penes ſuos occupare locum videbantur, aliquid de-

tra-

trahere, atque invido quodammodo conatu ex optimo opinionis gradu dejicere voluerim; ſive effraeni atque inſoleſcenti adverſus ſibi praepoſitos Viros graves, ſenes, dignitate aliqua fulgentes, juventuti, contemtus ac ſuperbientis animi ſtimulos augere ac parare hiſce animadverſionibus criticis ſtuduerim. Apage ſane iniquum hujuſce generis facinus! Neque enim a praejudicatis vulgi opinionibus abhorrere, a falſo veri inter judicandum lenocinio temperare, idem eſſe, perinde ac tam indigna homini liberali; juveni praeſertim bene inſtituto; officia praeſtare arbitrandum eſt; tum quod nemo quantumvis auctoritate & eruditionis fama pollens a caeteris ut ſibi dicenti aut ſcribenti fidem accomodent, abſque injuria valeat extorquere; tum quod addiſcentes juvenes a Majorum ſuorum opinionibus, effatis, aut praeceptionibus recedere facile, ac interim diverſa plane ratione judicare & opinari, legitime permittantur; ſalva ſemper iiſdem, quae merito debetur obſervantia; nulloque audaciae tumoris atque contemtus exhibito indicio.

Caeterum & ipſos; qui praeſtantiores ſunt, & dicuntur, errare ſaepe & decipi utique poſſe, cum pronunciant de rebus, quae nonniſi accurata ratiocinatione ac meditatione dignoſcuntur, adeo explorata res eſt, ut experientia ipſa pro evidentiſſima demonſtratione ſufficiat. K 2 Quae-

Quaenam autem leges, quaeve monita ſervanda ſint, ne temere & inopportune fidem aliorum teſtimonio & auctoritati praebeamus, aut denegemus, cum de analyticae Methodi praeceptis agemus opportunior fuſiorque ſermo redibit.

Satis igitur ſuperque monitum hic fuiſſe autumo, ſi, antequam de rebus definire aggrediamur, introſpiciamus noſmetipſos, atque ſemotis animi pathematibus nitidam conſpicere veritatem duntaxat appetamus; nec equidem vereor, quin abſolutiſſimi ac ſinceri de quopiam vero cenſores & apud univerſos emunctae naris homines acceptiſſimi ſimus evaſuri.

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

De ratiocinatione ſeu diſcurſu; ubi ſupremae in humana mente operationis exponitur natura.

SCETIO PRIMA.

QUae ex recta Tractationis noſtrae methodo dicenda exinde ſuperſunt, tantae neceſſitatis cenſeri ab uno quoque fas eſt, totidemque utilitatis, ut merito in iis potiorem Dialecticae laudem, ac pretium locari poſſe videatur: Ratiocinationem inquam, cujus indolem brevi oratione explicandam aggredimur; Sine qua innumera profecto eſſent, quae nos prorſus laterent. Quae igitur ad hanc eximiam mentis noſtrae operationem ſpectant, en vobis qua ratione clarius quoad fieri potuit, tradantur.

§. I.

Ratiocinatio, ſive ſermo, illa mentis eſt operatio, qua ignotum ex cognitis perſpectiſque rerum ideis eruitur, atque colligitur; ſeu ut vulgatum illud inter Philoſophos Tullianum fert effatum (a) *quae ex rebus perceptis ad id quod non percipiebatur adducit*. Hinc ad rem noſtram optima illa erit mentis ratiocinatio, quum animam rationalem ideo immortalem eſſe concludimus, quod ex explorata nobis ſpiritalis ſubſtantiae omniſque corruptionis expertis idea, quam eidem animae convenire liquido dignoſcimus ad arguendum facile progrediamur, animam rationalem immortalitate donari.

Itaque ſubſtantiae ſpiritalis cognitio, ſeu idea, immortalitatis inſtar cauſae ſe habet; quae neceſſario quodam vinculo colligatum producit effectum; immortalitatis ſcilicet perceptionem. Quare in omni ſemper argumentatione mutuum ejuſmodi duarum idearum inter ſe; ſeu cauſam inter & effectum commercium neceſſario poſtulatur. Porro duarum haec idearum conjunctio recte a Logicis *antecedentis*, & *conſequentis* nomine appellatur; ut nempe *antecedens* totum verſetur in comparatione duarum idearum cum tertia, *conſequens* vero illud ſit

(a) Lib. IV. *Quaeſt. Acad.* Cap. 8.

ſit judicium, quod ex illis deducitur. Quae autem in argumentatione tertia hujuſmodi Idea nuncupanda ſit, paucis opus eſt indicare.

§. II.

UT mox laudato de animae immortalitate haereamus exemplo nullo unquam pacto de veritate, aut falſitate hujuſce propoſitionis pronunciare liceret ſi duntaxat uno ſimplici intuitu duarum Idearum habitudinem niteremur attingere; animam inter, & immortalitatem; hinc fit, ut tertiam quamdam ideam in ſubſidium advocare cogamur, eaſque cum illa, atque ſimul omnes conferre inter ſe mutuo: Quocirca tertia haec idea ſpiritalis ſubſtantiae erit cognitio, quae cum ſubſtantia rationali comparata immortalitatis attributum continere demonſtrabit animae ipſi tribuendum.

§. III.

ALterum ſit exemplum huic affine: Inquiri poteſt utrum hominis anima ſpiritalis ſit nec ne: Nequit profecto duarum harum contemplatione notionum continuo nobis hoc innoteſcere, niſi cogitationis ideam ad quaeſtionis nodum ſolvendum curem ſeligere: Copulatione itaque facta cogitationis cum eadem anima, inde perſpicuum fiet cogitantem ſubſtantiam ſpiritali munere decorari.

§. IV.

ITaque generatim accepta argumentatio, quemadmodum levi calamo viſum fuit, alià perinde ratione; ſive quum affirmative, ſive quum negative ſermocinari volumus; poteſt explicari. Atque ut penitus intelligatur, ſequentia axiomata ducimus praemittenda.

Primo datis tribus pluribuſve rebus, ſi ſecunda conveniat cum prima, tertia cum ſecunda, quarta cum tertia &c. prima, & poſtrema conveniunt inter ſe. Ita ex. gr. Si ratione ſimilitudinis vel ratione conformationis partium, vel configurationis, vel alio quopiam comparationis genere ſpatium A aequale ſit figurae B figura vero B aequalis ſit corpori C, & corpus C congruat cum vaſe D ſpatium A & vas D congruunt inter ſe.

Secundo, data ſerie trium pluriumve quarumcumque rerum; ſi inter primam & ſecundam aliquod connexionis, & convenientiae genus intercedat, inter ſecundam vero, & tertiam, vel tertiam inter & quartam &c. ſit aliquod diſcrepantiae genus oppoſitum, primum, & poſtremum diſcrepant inter ſe. Idem quoque contingere dicendum eſt, ſi prima diſcrepet a ſecunda, ſecunda vero non diſcrepet, ſed conveniat cum tertia, aut tertia cum quarta; in hoc enim caſu prima, & poſtrema

ma invicem ſejunguntur, ita ut de prima negari poſtrema poſſit. Ex. gr. ſi motus A aequalis ſit motui B, motus vero B non aequalis ſed duplus ſit motui C, motus A diſcrepât a motu C, & negari poteſt cum eodem motu C aequalitas; vel e contra ſi motus A non aequalis, ſed duplus, ex. gr. ſit motui B, motus autem B aequalis ſit motui C, motus proinde A duplus eſt motui C, nec cum illo ullo pacto congruit; ac negari poteſt ejuſdem cum motu C convenientia.

Tertio, quidquid affirmatur de idea univerſali ſumpta ſecundum integram ſui extenſionem affirmari etiam poteſt de quovis, quod ſub illa continetur. Ut ſi de idea hominis univerſaliter ſumpta affirmari poteſt rationalitas, hoc idem attributum affirmari etiam poterit de quolibet homine; ſi autem de aliquo univerſaliter accepto negatur, quidpiam de unoquoque perinde peculiariter inſpecto erit negandum.

§. V.

TOta igitur argumentandi vis in expendendis inter plura, ſeu convenientiae, ſeu diſcrepantiae, relationibus verſari debet. Quum vero artis praeſidio ſcite fuerit adinventum, ut ejuſmodi relationes quorumdam ſchematum ope ex praemiſſis inter ſe, vel congruentibus vel repugnantibus propoſitionibus eruantur,

rectus

rectus proinde ordo poſtulabat, ut breviori, utiliorique, quo fieri poterat, ſtylo Tractationem noſtram iiſdem accomodaremus.

SECTIO II.

De ſyllogiſmo ſimplici atque compoſito.

Mentis noſtrae praeſtantiam in arguendo elucere maxime nemo poterit, niſi plane ſtupidus inficiari. Vix tamen inter innumeros homines ingenii praeſtantia donatos vel unum reperiri poſſe contingeret, qui nulla inſtructus argumentandi forma nullaque lege eruditus recte ſermocinari valeret. Quapropter qui primi de optima cogitandi arte pertractarunt, tum maxime univerſam argumentationem ad praeſcriptas quaſdam leges revocare accurate ſtuduerunt, ne quod in homine eſt praecipuum, propter intemperantiorem quorumdam inter loquendum licentiam ſenſim ſine ſenſu labefactaretur. Inter illa autem quae a Logicis tradi vulgo ſolent, ſyllogiſmus primum ſemper tenuit locum, quod reliquis, ſuimet dignitate antecellere, viſus ſit.

§. I.

§. I.

EA eſt ergo ſillogiſmus Oratio tribus terminis conſtans totidemque propoſitiones complectens, ea lege diſpoſitas atque connexas inter ſe, ut quae poſteriori loco eſt, ex prioribus, perinde ac effectus a ſua cauſa, conſequatur, ut cum quis ita argumentatur.

Omnis homo compos rationis eſt,
Petrus eſt homo
Ergo Petrus rationis eſt compos,

§. II.

NEque tamen in ſyllogiſmo quolibet condendo ita religioſi eſſe debemus, ut in tribus terminis ſeu propoſitionibus inveniendis, eos quos *complexos* vocant ſollicite fugiamus. Poſſunt enim non ſolum eſſe complexi, verum etiam integram propoſitionem continere, quemadmodum ex hoc ſyllogiſmo aperte conſtat.

Omne quod caret partibus ſeparabilibus interire partium ſeparatione non poteſt.
Anima rationalis caret partibus ſeparabilibus;
Ergo interire partium ſeparatione non poteſt.

Ne-

Neque enim terminorum complexio impedit, quominus tres tantum ſint ideae, ex quarum duarum habitudine ſive comparatione cum tertia earumdem inferatur inter ſe habitudo, quae antea latebat.

§. III.

PRopoſitiones in ſyllogiſmo, ex quibus alia infertur, illius praemiſſae dicuntur; ea vero quae ex illis colligitur ejuſdem concluſio appellari ſolet. Prima praemiſſarum dicitur *major*, ſecunda *minor*, quia illa praedicatum concluſionis (quod majus extremum a logicis nuncupari uſuvenit) haec vero concluſionis ſubjectum (quod minus extremum dicitur) complecti debet. Tertius poſtremo ſillogiſmi terminus ille eſt nimirum, cui in praemiſſis utrumque concluſionis extremum comparatur: Vocatur autem medium, ſive *medius terminus*; quatenus nempe extrema ſibi mutuo ille veluti conciliat, unumque cum altero componit; atque inſuper illud eſt, cujus ope, ac lumine extremorum habitudo, antea nobis ignota, palam efficitur.

§. IV.

DIviditur ſillogiſmus in ſimplicem, & compoſitum. Simplex, qui *categoricus* etiam voca-

vocari ſolet, ille eſt, qui duos ſimplices terminos, & medium unum complectitur, atque adeo ex tribus ſimplicibus propoſitionibus coaleſcit; quemadmodum in ſuperioribus allegatis exemplis intueri fas eſt. Compoſitus vero ille uſurpatur, cujus una *praemiſſarum* eſt propoſitio compoſita, & quidem ſic in eo diſtributa, ut una illius pars aſſumatur in *minorem*, & altera in *concluſione* deducatur, ut hoc liquet exemplo.

Si Mundus providentia regitur ſimul atque conſilio, datur Deus;
Sed Mundus regitur providentia, atque conſilio;
Ergo datur Deus.

Ubi animadvertendum occurrit, ejuſmodi ſillogiſmum, *compoſitum* idcirco appellari, vel quia conditionalis, vel copulativa, vel disjuntiva, eſt Propoſitio illa, quae *Majoris* locum obtinet. Verum de hiſce tribus redibit ſermo propediem.

SE.

SECTIO III.

De ſillogiſmi recto uſu.

INſicias ire nemo profecto debet ſillogiſmorum infinitos pene canones, figuras multiplices, earumque varia diſcrimina, quibus miſeri plane Dialectices ſcriptores improbo penitus labore tenellae juventutis mentem conſarcinarunt, atque ad deſperationem uſque, retroactis praeſertim ſaeculis, adegerunt, eo levioris in praxi fuiſſe momenti, quo ſubtilius fuerant adinventae, adeo ut ii, qui optimo fuerant ſenſu a natura donati, vel ea cum irriſione exciperent, vel in argumentando ad eadem, vel leviter nec animum applicarent. Quamobrem factu optimum cenſui immenſam propemodum ſupervacanei id genus laboris congeriem non praeterire ſolum, verum etiam cum propoſitis ad rem rationbus, tum perſpicuis ad rectum ſyllogiſmi uſum conſtitutis canonibus exſufflare. Proh Deum immortalem! experientia edoctus magiſtra meo ſane infortunio ſatis ſuperque comperiebam inaniſſimis logicalibus tricis tantum conteri ſolere temporis, quantum fortaſſe praeſtantioribus diſciplinis

nis percurrendis inſumeretur. Attamen obtemperandum tunc temporis erat, ac conſuetudini attemperandum; tametſi pleraque mancipata torqueri ingenia non ſine lacrymis ac cruciatu animadverterem. Cum vero ſupremi numinis beneficio factum eſt, ut mihi liberius docenti vos, ſolertiſſimi Juvenes, adſtaretis, dicam equidem, quo tempore ſophiſticam multiplicium ſyllogiſmorum artem tenuit imperium eos qui diſciplinas tractarunt tamdiu rudes fuiſſe, atque errorum ineptiarumque ſomniatores. Utinam ergo numquam extitiſſet ars illa, numquam enim in ea callenda repoſita fuiſſet ſapientiae laus, numquam pertinaces, garruli, impudentes ſophiſtae pro philoſophis habiti fuiſſent. Ne quis tamen arbitretur me ſyllogiſticae facultatis uſum inſano quodam pruritu vituperare voluiſſe, neque illum tanquam opportuniſſimum ad verum quodcumque tradendum ſcientiarum fateri vehiculum; quocirca ad exactas quaſdam Leges univerſa revocari curabo.

§. I.

UT legitimum a vitioſo ſyllogiſmo diſcernere valeamus intimum ſenſum noſtrum explorare debemus, ac rationis lumen in ratiocinationibus ſyllogiſticis conflandis ſequi ducem: atque ut nobis hoc examen ſuccedat ex

vero,

voto, cum maxime difficultatibus urgemur, admodum ſane proderit pariles de aliis rebus ſyllogiſmos contexere, ac bonum in iis ſenſum duntaxat expendere; ſi ergo veritate ibi inſpecta clare & diſtincte concipimus eos, recte concludere; quamvis aliquid in ſe continere, quod vulgo receptis regulis accomodari nequeat ſuſpicari debeamus; nihilominus tanquam certum tenendum eſt, nobis parum perſpicacibus ita videri, quam quod re vera male olentibus Dialecticorum praeceptis adverſentur. Quae namque intimae unicuique perſuaſioni tanquam indubitata ſe offerunt, pro certis indubitatiſque ſunt, quin vel minimum haereamus, uſurpanda.

§. II.

QUum propoſitio, cujus veritas nondum explorata eſt, & manifeſta nobis offertur probanda, nihil aliud poſtulari videtur, quam ut propoſitionem notiorem expiſcari ſtudeamus, qua prior illa confirmetur, deinde alteram propoſitionem aſſumere curemus, quae liquido oſtendat, concluſionem a priori illa neceſſario pendere. Hinc illarum una propoſitio *continens* altera *exponens*, ſive *applicativa* ſatis apte vocatur.

Ac re ſane vera hujuſce praecepti ductu, quaecumque obrepere argumentationis vitia poſ-

poſſunt, facili negotio detegi ac dilui, experientia ipſa nos docet; quaecunque argumentorum diſpelli ſophiſmata atque ad lydium hunc lapidem integra ſyllogiſmorum bonitas conferri debet. Exemplo rem clarius patere non dubito: In ancipiti aliquis cogitatione verſatur; an impii homines miſeram ducant vitam; Ut dubitationi propoſitae lucem aliquam demonſtratione conciliet, operae pretium eſt juxta dicta, ut idea aliqua notior in ſubſidium adciſcatur, quae ſit concluſionis definiendae velut cauſa, & quae illam ex ſui virtute contineat; ſic autem argumentari poteſt.

Quicunque cupiditatibus ſerviunt miſeram vitam ducunt

Sed impii cupiditatibus ſerviunt

Atque haec illa eſt altera propoſitio, quae manifeſte declarat concluſionem in enunciata majori propoſitione comprehendi.

Ergo impii homines miſeram vitam ducunt

Quod erat oſtendendum.

§. III.

MOnendum eſt autem, in concluſionibus negativis per rectum ſyllogiſmum demonſtrandis, ut ſemper propoſitio *continens*, nega-

 tiva,

tiva, quae vero dicitur *exponens* affirmativa habeatur; quemadmodum ſequenti ſyllogiſmo manifeſtius liquet.

Officium Chriſtiani eſt, eos non laudare, qui graviter peccant;
At, qui duello pugnant graviter peccant,
Ergo officium Chriſtiani eſt, eos non laudare, qui duello pugnant.

Concluſio namque negativa ut patet in eo verſatur, ut eos non laudemus, qui duello pugnant atque ad hoc confirmandum modo expoſita *continenti* propoſitione negativa rite uſi ſumus, deinde non minus ſcite alteram affirmativam adhibuimus ex quibus ambabus propoſitam demonſtrationem comparavimus.

Brevi itaque in ſyllogiſmis efformandis tradita Canonum praeceptione ut nullis ferme circumſcriptam finibus Dialecticorum legislationem repudiemus; ſupereſt modo, ut quae praeterea ingenioſae juventuti, & ad veritatem adipiſcendam cum bene efformatae, tum otio, & litteris nequaquam abutenti praeſcribenda ſunt in ſobrio ſyllogiſmorum uſu breviter afferamus.

§. IV.

§. IV.

SYllogiſmo compoſito conditionali erit utendum; qui ſcilicet in eo conſiſtit, ſi ejus *major* propoſitio ea ratione diſtribuatur, ut una ipſius pars *minorem* conſtituat, altera vero in concluſione deducatur. Hujuſmodi eſt

Si Deus eſt juſtus, punientur ſceleſti,
Sed Deus eſt juſtus,
Ergo punientur ſceleſti.

Haec autem ſyllogiſmi forma adhibenda eſt, cum *affirmative* argumentari volumus; caeterum *negativè* nobis arguere volentibus, ita propoſitionum diſtributio texenda eſt, ut negato conſequente propoſitionis conditionalis in *minori*, rejiciatur illius antecedens in concluſione ejuſmodi pacto.

Si quiſpiam electorum perit, fallitur Deus,
Sed Deus non fallitur;
Ergo nullus electorum perit

§. V.

LEgitime praeterea nec inutiliter ſyllogiſmo compoſito copulativo uti licebit, qui videlicet in eo verſatur, ut *major* propoſitio copulativa ea in illo diſtribuatur lege, ut una

ipſius propoſitionis pars affirmetur in minori, altera vero in *concluſione* rejiciatur. Ita recte argumentamur ejuſmodi ratione.

Non poteſt homo ſervire ſimul Deo, & Mammonae;
Sed Avarus ſervit Mammonae,
Ergo Deo non ſervit Avarus

§. VI.

Adhibendus eſt tandem ſyllogiſmus compoſitus disjunctivus; qui ita conflatur, ut tota disjunctiva propoſitio *majoris* locum teneat, deinde una illius pars affirmetur in *minori*, altera vero negativa inferatur in concluſione; ut cum ſic arguitur.

Vel terra movetur circa ſolem, vel ſol circa terram,
Sed ſol movetur circa terram,
Ergo terra non movetur circa ſolem

Vel e contra ſic argui poteſt in minori, ut inde eruatur *affirmativè* concluſio

Sed terra non movetur circa ſolem,
Ergo ſol movetur circa terram.

Verum expendendum hic eſſe arbitror, ſyllogiſmum id genus compoſitum neceſſario poſtulare, ut optima ſit, quae in *majorem* aſſumitur

mitur disjunctiva propoſitio ; nimirum , ut membra *disjunctivae* propoſitionis nullum plane medium admittant, ſed utraque certa & indubia eſſe inter ſe debeant; Etenim ſi ſecus, perſpecta res eſt nihil prorſus legitima illatione poſſe deduci.

§. VII.

SAtis ut arbitror de ſyllogiſmi optimo uſu, quem duarum idearum copulatione cum tertia aliqua notiori ſemper conſtare debere huc uſque expoſuimus. Quidquid ergo trium idearum ope ad rem elucidandam non ſufficiat, ad argumentationem, quae vulgo *ſorites*, appellatur erit confugiendum. De hac itaque mox habere ſermonem inſtituti ratio poſtulat.

SECTIO III.

De omnium argumentorum Principe ſorite.

QUae hactenus de ſyllogiſmo ejuſque recto uſu diſſerebantur a nobis eo ſane ſpectabant, ut identidem inter arguendum ad veri cujuslibet inventionem uti iis liceret; neque tamen integram diſputandi vim

 in

in iis locari debere opinaremur. Etenim de ſorite omnibus argumentis praeſtantiori dicendum adhuc ſupereſſe videbatur, de quo tametſi à permultis Dialectices artis ſcriptoribus etſi vix aliqua ac ne vix quidem commemoratio fuerit habita, ex ipſamet tamen penitius ejus inſpecta indole ſatis perſpicue demonſtrari poſſe conſtabat, ſoriticae huic diſputandi methodo primas eſſe vel ab invitis concedendum. Si qua ergo extitit huc uſque inter Dialecticos Profeſſores hujus argumenti neglecta conſuetudo, ex eo maxime repetendum eſſe autumo; quod ad mathematicam cogitandi rationem nihil logices tractationem pertinere putaverint, atque per plura obtinuerit ſaecula (quemadmodum etiam hodierna tempeſtate apud plures obtinet opinio) ſyllogiſticam artem divinum propemodum inventum, praeſtantiſſimumque ſcientiarum ſe habere inſtrumentum atque vehiculum. Horum itaque, qui ita falſo ſibi blandiuntur minuenda eſſet opinio, niſi illud contra Celſum Origenis celebre effatum mihi tempeſtive prae oculis fuiſſet obverſatum; *difficile nempe fore evellere ex animo connata pene & uſque ad grandem aetatem coalita dogmata adeoque habita pro divinis*; quocirca mihi video praeclarum ejuſmodi ſyllogiſmorum inventum ad quaeſiti latentiſque veri inventionem (pape!) maxime conſentaneum totum illis eſſe deferendum.

Ita.

Itaque quicunque in tuenda ſyllogiſtica legislatione pertinaces ſunt, gravate quaeſo ne ferant, ſi eorum ſententiae ſuffragandum eſſe reor, qui intemperantem in omnigena praeſertim figurarum praeceptorumque varietate abuſum, nec ad inveniendam veritatem, neque ad inventae demonſtrationem ſatis commodum jure meritoque pronunciant. Quid ſane illa earum legum prodeſſe poteſt ars; ſi tamen legitima appellatione artem fateri debemus; quam cum callueris; cujus nam ſcilicet quantitatis, qualitatiſque eſſe debeant enunciationes duae, ut inde tertia colligatur; quomodo tamen detegi poterit an duae illae ex quibus tertia conſequitur verae ſint nec ne? certe non ex ſyllogiſtica arte, quae tota eſt in docendo; quando nimirum ex duabus praemiſſis tertia enunciatio conſequatur. Fac ergo aliqua ex praemiſſis falſa ſit, quae tamen pro vera fuerit uſurpata ob aliquam ex iis errandi occaſionibus, quae paſſim hominibus illudunt quaſque re vera ars ſyllogiſtica nec novit nec oſtendit; jam dubio procul conſequutionem colliges. Quid inde tamen? Syllogiſmum conficies ad praeſcriptum artis; verum nonniſi errorem collegeris. Sarctas tectaſque ſervare ergo potes ſyllogiſticae artis leges omnes, ac ſimul falſum pro vero inferre. Proh praeclarum ad optati latentiſque veri aſſequutionem inventum!

Conſultius igitur cum ſapientioribus, paucioribuſque aevi noſtri Dialecticis ſentire malumus, quam in proximum perpetui erroris diſcrimen nos committere; quam ab expedita diſputandi via detorquentes cum multitudine tempus fruſtra conterere, atque inter nugaciſſimas ſyllogiſmorum quiſquilias inſanire. Quamobrem nemini ſerio cogitanti diſplicere poſſe puto, quae exinde ex accuratis animadverſionibus optimiſque Scriptoribus pro ſoritica arguendi arte paucis edenda curavi.

§. I.

SOrites igitur eſt argumentatio ex pluribus, quam duabus praemiſſis conſtans, ea lege atque ratione ſimul connexis, ut attributum proxime praecedentis propoſitionis ſit ſubjectum ſecundae; ac deinceps, donec ſubjectum primae cum ultimae praedicato in concluſione conjugatur. Ejuſmodi praeclarum habemus exemplum in Seneca (a).

Qui prudens eſt, & temperatus eſt,
Qui temperatus eſt, & conſtans,
Qui conſtans eſt, & imperturbatus eſt,
Qui imperturbatus eſt, & ſine triſtitia eſt,
Qui ſine triſtitia eſt, & beatus eſt,
Ergo prudens beatus eſt, & prudentia ad beatam vitam ſatis eſt.

(a) Epiſt. 86.

§. II.

SOrite nihilominus uti non debemus niſi in compoſitis ratiocinationibus; quoties nempe duarum idearum connexio, aut disjunctio, ſeu diſcrepantia ex unica tantum idea media colligi nequit; ſi enim per ſimplicem demonſtrationem argumentatio confici valeat, tunc ſyllogiſtica adhibeatur methodus expeditior ſane atque luculentior.

§. III.

IN Sorite recte conſtruendo nulla enunciationum debet intercedere, quae perſpicuitate careat ac demonſtratione indigeat; etenim vel prima eſſe debet per ſe ſe apertiſſima, vel ex praedemonſtratis manifeſta, ut inde reliqua aſſerta ſoriticam demonſtrationem ſimul conſtituentia indivulſa inter ſe catena, & claritate congaudeant.

§. IV.

COnferatur ſyllogiſtica methodus in hujus compoſitae ratiocinationis exemplo; quo ambitioſos tametſi incolumes, rebuſque omnibus abundantes miſeram tamen agere vitam demonſtrare velimus, cum ſoritica arguendi

ratio.

ratione. Qui hac uti ſcite decernet ita argumentabitur. Ambitioſi ſunt, qui dignitates captant, ad ampliora contendunt ſemper, nunquam honoribus ſatiantur; qui ita animo ſunt affecti aſſiduis praemuntur curis moleſtiiſque animi angoribus, quibus finis nullus, niſi cum vita; Qui aſſiduis praemuntur curis, & agitationibus ſereno animi otio, dulci & placida voluptate, tranquilloque vitae genere frui nequeunt; qui animi ſerenitate, & reſpondente votis voluptate innocua careat, miſeram vitam ducunt, etſi incolumes ſint rebuſque omnibus abundantes. Ergo ambitioſi in miſera vitae conditione verſantur, licet ſoſpites rebuſque omnibus affluentes dici poſſint. In qua equidem ratiocinatione idearum nativa connexio immediata ubique ſervatur; quaelibet enunciatio ſua gaudet perſpicuitate, omne attributum ſubjecto ſuo immediato vinculo ad nexum eſt; ac demum conſequutio ſponte ſua a nitidiſſima illa idearum colligata ſerie proficiſcitur. At ex adverſo ad ejuſdem concluſionis demonſtrationem conflandam ſyllogiſticam vim adhibere volenti, continuo occurret pluſquam trium idearum neceſſitas; ſi ergo pluribus utatur ſyllogiſmis (quemadmodum opus eſt) jam nativa illa concinna, perbrevis, luculentiſſimaque idearum connexio, & ſeries interturbetur neceſſe erit. Poteſt equidem omnis Sorites in ſyllogiſmos conſtrui; at infelix plane eſt opus, & a ratione prorſus alienum.

§. V.

Non me latet, plures conſtitutis hiſce legibus tota contentione nerviſque omnibus adverſari, miſerandas plane voces ad coelum tollentes, quaſi ſupremum litteris imminèret pene jam caſurum excidium: ſaepe namque illud repetere non deſiſtunt; Soritem nimirum inexpertorum mentes defatigare nimis; efficereque, ut ratiocinationis vim non ſentiant. At nonne magis mentes propemodum enecabit ſyllogiſmorum ſeries ad idem demonſtrandum; quod Sorite confici poſſet?

Praeterea haec una cautio ſufficiet; ne videlicet in longum nimis protrahatur enunciationum Soritica ſeries, ſed poſt quintam vel ſextam propoſitionem intermediae quaedam conſequutiones inferantur, quae mentis contentionem ex quietis intervallo relaxent. Verum de hoc argumentandi genere, cum de ſyntheticae methodi legibus erit agendum, ſermo redibit.

Interim vero traditis hiſce breviori calamo praeceptis indivulſe haereamus, ſi nobis nihil cordi magis eſt, quam unam inveſtigare veritatem, ac lutulentos barbarorum, Dialecticorum lacus devitare.

SE-

SECTIO IV.

De reliquis argumentationis ſpeciebus.

QUamvis Sorites omnium ſit perfectiſſima, ut diximus, argumentatio, non propterea, caeterae arguendi rationes negligendae ſunt. Inſignis ſiquidem eſt illarum uſus, neque exigua earumdem utilitas. Eas igitur hic paucis exponemus. Quas inter, cum priorem occupare locum debeat, illa, quae vulgo in Scholis *Enthymema* appellatur, de hac proinde primo a nobis agetur.

§. I.

E*Nthymema*; qui etiam ſyllogiſmus imperfectus, ſeu mutilatus dicitur; eſt argumentatio duabus conſtans propoſitionibus, quarum una, ex alia legitime ac neceſſario eruatur; ut ſi quis ex. gr. argumentaretur.

Omne quod ex contrariis componitur, corruptibile eſt.
Ergo humanum Corpus eſt corruptibile.

Ve-

Verum, ut argumentum hocce concludat tanquam certa habenda eſt illa, quae reticetur propoſitio; quocirca niſi plane conſtiterit, *humanum Corpus ex contrariis conſurgere*, elumbis prorſus, atque evanida erit oratio; atque hinc patet *Enthymema* eſſe in mente perfectum ſyllogiſmum.

§. II.

EPicherema aliud eſt argumenti genus, quod definiri vulgo ſolet; *ſyllogiſmus, cujus alterutri, vel utrique praemiſſarum ſua adjungitur probatio*; quemadmodum hoc exemplo liquere videtur:

Omnis ſubſtantia ſpiritalis cum partibus careat, in quas diſſolvi poſſit, eſt immortalis, atqui
Anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritalis quae cum velit, atque intelligat partibus caret in quas diſſolvi poſſit; ergo
Anima rationalis eſt immortalis.

§. III.

DIlemmate praeterea uti poſſumus; quod nimirum validiſſimam vim faciat, atque ita adverſarios urgeat, ut nulla via argumenti robur effugiant. *Cornutum* vulgo argumentum idcirco dici ſolet, quia ſcilicet duabus disjun-

disjunctivae propoſitionis partibus, velut totidem cornubus inſtructum, earum alterutra ſemper confodiat. Exemplo rem patefaciamus.

Vel ille ſtuduit, vel non ſtuduit,
Si ſtuduit: hebes eſt, quia nihil profecit.
Si non ſtuduit: ignavus eſt, quia virtus nonniſi ſtudio comparatur.

Praecavendum tamen eſt iis, qui hanc arguendi adhibent rationem, ne in duos offendentes ſcopulos non ſatis pervios adverſus ſemetipſos ea, quibus alios incomodare opinabantur, arma vertantur. Horum prior in eo eſt poſitus ne disjunctiva aſciſcatur propoſitio aliqua, quae manca ſit & imperfecta; ſeu quae medium aliquod patiatur, quo effugere queant adverſarii. Alter vero cavendus ſcopulus in hoc conſiſtit; ne ſcilicet dilemma in auctorem ſuum iiſdem pene verbis valeat retorqueri. Quoties vero haſce adhibeamus cautiones argumentum perenptorium eſt, atque robuſtum.

§. IV.

Inductio uſitatum ac vulgare argumentum illud eſt; *quo ex particularibus plurimis recte enumeratis univerſalis propoſitio aliqua colligitur.* Verum quo uſitatius eſt, eo nihil eſſe facilius duco, quam ut in eo verſando decipiamur.

Ete-

Etenim nulla ab *Inductione* argumentatio illa cum primis eſt habenda, ſi vel in particularibus enumerandis deſit aliquid, vel ſi quod de particularibus dicitur iis haudquaquam neceſſario conveniat.

§. V.

DE argumento denique ab *Exemplo* petitum dicere praetereo quod ex ſui perſpicuitate nulla nec levi quidem indigeat expoſitione.

Ex his igitur, quae huc uſque de ratiocinationis natura docuimus patet; praemiſſas concluſionis rationes, probationeſve continere: infertur enim ex praemiſſis, & quidquid aſſeritur in conſequutione, ex praemiſſarum virtute enunciatur. Caeterum extra omnem dubitationis aleam quum ratiocinatio quaelibet recta eſſe, & falſa ſimul haberi valeat, hinc manifeſto patet, quam diligentiſſime a falſis principiis falſiſve praemiſſis cavendum ſit, ſi veras conficere argumentationes volumus, atque adeo incompertam detegere veritatem. Falſam inquam profecto ratiocinationem, ſi ex falſis ortum ducat; rectam deinde, ſi ex conſtitutis principiis illatio inde deducta per neceſſariam conſequutionem debeat ſponte fluere.

Nos itaque ut falſitatem ab argumentatione qualibet noſtra eliminemus, antequam principia praemiſſarum loco ſtatuamus, judicia

cohi-

cohibere debemus attenteque perpendere; utrumnam alicui propoſitioni aſſenſum firmum praebuerimus, vel non ſatis exploratae, vel ex infecto quopiam judicandi fonte profectae, vel demum ex pravis quibuſdam ſophiſmatibus, caeteriſque vitiis inter arguendum ſaepiſſime contingentibus derivatae. Quamobrem, quaecunque a nobis de vario idearum judicio ſunt dicta, hic cum primis tempeſtive recolantur; deinde ad alia auſcultanda & alte memoria inſigenda, quae mox ſum dicturus animis quaeſo adeſte.

SECTIO V.

Recenſentur fontes praecipui, quibus ratione materiae ratiocinia noſtra ſaepe corruunt.

PArum ſane ſtudioſis hujuſce artis auditoribus prodeſſe opinabar, ſi praecepta huc uſque tradita in omni ratiocinatione *juxta formam*, ut vulgo fertur, religioſe ſervanda proponerem, quin futilia perinde, ac ſapiente viro indigna prorſus ſophiſmata ſive paralogiſmi ſedulo caverentur, atque ut proſpere illud aſſequerentur, ſollicite laborarem. Poſtulabat igitur ſuſcepti muneris ratio, ut quo-

quomodo ratione *materiae* peccare argumentatio poſſit breviter, quantum pro rei neceſſitate fieri poterat, doceremus. Vos itaque latere non decet è duplici fonte univerſos ſaepenumero Paralogiſmos proficiſci ſolere; atque ab ipſis male affectae animae facultatibus, intellectu nimirum ac voluntate; quocirca conſulendum eſt, ut primo de iis quae abintellectu, tum de aliis, quae a voluntate proveniunt ſophiſmatibus diſſeramus: Explicari enim vix poteſt quantum inquirendae, inveſtigandaeque veritati perſaepe noceat etiam ipſa voluntas.

§. I.

PRimus itaque intellectus error nimium fortaſſe frequens inter plures differentes ille eſt, qui vulgo *petitio principii nuncupatur*; ex quo ſcilicet ſophiſmate illud, quod in quaeſtione eſt tanquam ratum fixumque ſupponitur, ac principii loco in argumentatione aſſumitur, quod demonſtratione indiget. Exemplo res in propatulo collocabitur. Quaeritur ex. gr. utrum fontes, & fluvia originem trahant, vel ex mari, vel ex collectis imbribus, nivibuſque paulatim è montium ſinu defluentibus; vel ex abyſſi viſceribus, ut prae caeteris Clariſs. Britannus Medicus Wodwardus in ſuo terrae ſpecimine adſtruere conatus eſt. Peccabitur ergo in petitione principii, ſi quis primo con-

 ſti-

ſtituat tanquam certum; impoſſibile eſſe nimirum fontes ita conſtructos, ut vel a mari, vel ex collectis imbribus, vel ex terrae viſceribus pabulum hauriant; atque ex hujuſmodi conſtituto ad arguendum progrediatur, ex nulla memoratarum originum diſputationem abſolvi poſſe. Alterum pervulgatum Peripateticorum ſit exemplum. Ut ipſi confictas a ſe formas ſubſtantiales demonſtrent hoc perpetuo ad nauſeam uſque utuntur ſyllogiſmo. *Niſi dentur* inquiunt *formae ſubſtantiales, nulla in natura exiſteret generatio; ſed generatio ubique obtinet in natura, ergo & formae ſubſtantiales*. Verum hic ut argumentum ex integra principii petitione proficiſci demonſtremus, detegenda eſt, quae in generationis vocabulo latet aequivocatio; ſi enim per generationis nomen ſubſtantiae cujuſdam, quae nuſquam alias fuerat, recens productio ab ipſis intelligatur, idipſum ſupponetur de quo quaeſtio fuerat inſtituta.

§. II.

AD hoc ſophiſmatis genus eae quoque referendae ſunt univerſae argumentationes, quibus ignotum per aeque ignotum oſtenditur. Quemadmodum ſi Tyronibus praeſertim inquirentibus, unde nam in columbae collo ſolis radiis illuſtrato tanta colorum varietas, quis reſpoderet; ex varia lucis refle-

xio-

xione totum fere repetendum. Peccaret ſane argumentatio id genus contra receptiſſimum arguendi canonem, quo a nobis §. I. *de argumentatione* cautum fuit, ne ignotum nonniſi ex cognitis perſpectiſque rerum ideis erueretur. Quid porro de lucis reflexione. Philoſophiae canditatis pervium eſſe poteſt? Huc quoque illae ſpectant argumentationes, quae in orbem recurrunt, ſeu ab eodem ad idem, circuli inſtar, per eamdem ratiocinationis formam procedunt; ut ſi quis oſtenderet Deum exiſtere, quia extat cauſa res omnes ſua providentia gubernans; deinde probaret exiſtere cauſam rebus omnibus conſulentem, quia exiſtit Deus: Eo enim ut patet argumentatio vitioſe redit, unde digreſſa primo fuerat, quae idcirco appoſito ſcholarum vocabulo *vitioſus circulus* dicitur.

§. III.

MOnendum eſt praeterea ne diverſum plane ab eo, quod eſt in quaeſtione nitamur oſtendere. Paucis hic immorare volo, quod res nempe per ſe pateat; vel enim ex ignoratione, quae culpa vacat proficiſcitur, vel ex argumenti fraude; vel demum ex immodico diſputationis aeſtu. Qui ignorat, venia dignus eſt ac modeſte docendus: Qui vero adverſariis falſa quaedam affingunt, quae num-

quam ipſi docuerunt, vel qui ex animi inter diſputandum perturbatione forte aberrant, aperte ſignificant ſe non veritatis inquiſitione, ſed adverſarii proſtratione delectari.

§. IV.

SErius vero illud fugere debemus ne tamquam pro rei probandae, improbandaeve cauſa aliquid afferamus, quod re vera cauſa non ſit, ut quum certi planetarum aſpectus cauſa ſterilitatis, & peſtilentiae dicuntur; quum pravae hominum inclinationes ac vitia quaedam, ex certo quorumdam ſyderum influxu, velut ex fato derivant; quum in naturae phenomenis explicandis ad ſympathiam, antipathiam aliaſque id genus occultas qualitates confugimus, quibus de re quacumque volumus tanquam ex tripode definire. Admodum familiare eſt hoc vitium, ſuperbis praeſertim hominibus rerumque eruditione deſtitutis; *Superbia namque nobis pene connata factum eſt* inquit graviſſimus in re critica Auctor (a) *ut eorum effectuum, quorum vero nos latet origo, malimus alienas ac plane imaginarias potius cauſas comminiſci, quam inſcitiam ingenue candideque fateri; arbitrantes inſuper noſtro nos muneri feciſſe ſatis, ſi vocabulis, quae ne ipſi quidem intelligimus ad haec explicanda utamur*. Ex rerum vero ignoratione idem ortum

(a) Logicae Part. IV. Cap. 8. Num. 3.

ortum habet praejudicium, quemadmodum a retroacti aevi phyſicis peccatum fuiſſe novimus; cum ad explananda aeris phaenomena in metum vacui ſexcenta pene revocarunt, quae noſtra hac tempeſtate demonſtrative accuratiſſimiſque experimentis nonniſi ab aeris gravitate pendere comprobantur. Candide itaque veritatis amatorem, neſcire quod neſcit, revera fateri potius minime pudeat, quam audaci jactatione rerum non cauſam pro cauſa aſſignare. Opportune propterea animadvertit Seneca celebri effato; maximam ſapientiae partem eſſe ſcire quae neſcimus: Atque, ut praeclare monet Tullius; *ex caeteris Philoſophis nonne optimus, & graviſſimus quiſque confitetur, multa ſe ignorare, & multa ſibi etiam atque etiam eſſe dicenda* (a) Itaque ne in hoc vitium incauti labamur pigere nos haudquaquam debet longum pro rerum tractandarum dignitate ad res conſiderandas, & tempus & diligentiam inſumere priuſquam temere de iis quae plane neſcimus, decernamus.

§. V.

Vitio huic affine eſt aliud non minus rectae arguendi methodo incommodum; quum videlicet vel de re id ſimpliciter, & abſolute pronunciamus quod illi non inſit niſi

 per

(a) Lib. III. *QQ. Tuſc.* Cap. 28.

per accidens, vel quum cauſae remotae, ac nihil probantes ad illa accerſentur oſtendenda, quae ſunt ex ſeipſis vel ſatis manifeſta, vel falſa vel ſaltem dubia. Primum itaque ſophiſma quod *fallacia accidentis* vocari a Logicis ſolet, mirum dictu eſt quam late dominetur. Plurimi Medicos aſpernantur omnes, eoſque, velut imperitos, & impoſtores traducunt, ſi qua curatio illis ex voto non ceſſerit: continuo univerſa artis remedia pernicioſa eſſe putant, nec umquam deinceps adhibenda, quod ſemel aut bis in aliquo aegroto repetita ex latenti fortaſſe corporis vitio exoptatam ſanitatem, non attulerint. Exiſtunt praeterea, & quidem plurimi, qui Mechanicam Recentiorum philoſophiam dogmatibus fidei callide adverſari ajunt tacitaſque eidem inſidias moliri conantur, quod adverſus Eccleſiae Doctrinam ea nonnulli abutantur; quaſi non humanae malitiae, ne dicam temeritatis eorum ſit, qui divina humanis rationibus diſcernere metirique audent, ſed ipſimet ingenuae philoſophiae tantum ſit crimen tribuendum. Alterum autem ſophiſma exempli alicujus, propter ſui perſpicuitatem, ſcriptione non indiget.

§. VI.

COgnatione quadam inter ſe copulantur, quae poſtremo a nobis duo enumerata ſunt arguendi peccata cum hoc altero; Quum nempe

pe ab eo argumentamur, quod nonniſi partim, ſive ut ſcholae loquutur, *ſecundum quid* verum eſt, ad id quod ſimpliciter & abſolute. Ut ſi quis perperam cum Epicureis contenderet humanam formam; quod omnium pulcherrima ſit; Deo eſſe tribuendam. Quid vero ridendum magis ac veſaniae ſimilius quam Deo O. M. qui totus perfectimus ſpiritus eſt, nec ulla carnis concretione maculatus humanam ſpeciem ac venuſtatem velle tribuere? Quamvis enim hominis forma earum omnium, quae in corporeis viventibus ſpectanda occurrunt pulcherrima merito dici poſſit, non inde tamen inferri legittime fas erit ejus excellentiae aut perfectionis, ut plane ſit digna, quae Deo ſit accomodanda.

§. VII.

Bina denique expendenda ſe offerunt mentis noſtrae ſophiſmata, quae coronidis loco, ut cum reliquis devitentur, hic afferri voluimus. Quorum primum ex vitioſa arguendi methodo, quae *inductio* dicitur proficiſci ſaepe in viris etiam eruditis dolemus; cum videlicet ex aliquot duntaxat propoſitionibus particularibus in materia contingenti, univerſalem propoſitionem inferre conantur. Sicuti autem nullum eſt praeſertim in phyſicis, argumenti genus, quo frequentius utamur, ita nullum

eſt, quo facilius abutamur. Silentio tamen praeterire conſulto nonnulla ex phyſica exempla decrevi, quod junioribus ejus artis Tyronibus captu difficilia praeſumi facile debeant, nec adhuc ejus dogmatibus initiatis ita impervia ut ipſis exemplis interpretatio aliqua requiratur. Sit vero exemplum ex vita Civili mutuatum; ex facta plurium Eccleſiaſticorum, qui minus honeſte fortaſſe ſe gerunt, enumeratione inferunt quandoque Eccleſiae Miniſtris infenſiſſimi adverſarii nonnulli, totum Clericorum Caetum inhoneſtum vitae genus conſectari; ſed ſtulta plane argumentatione. Alterum vero ſophiſma ab hoc parum diſtare videtur cum nimirum ex perfectae enumerationis in re controverſa aliqua defectu ſaepius quam dici valeat peccari contingit. In hunc offendunt ſcopulum maxime viri docti quum criticum de re, vel facto aliquo examen inſtituunt; ſive quum de veterum ſcriptis interpretandis agitur, *Paſſim contendunt Critici*, inquit hac in arte peritus Auctor, *loquutionis alicujus eſſe unum ſenſum, aut etiam geminum, ac triplicem, quo poſito unum amplectuntur, aut omnes rejiciunt, indeque locum corruptum eſſe judicant, cum ſaepe fiat, ut ex memoratis ſenſibus nullus ſit is, quem ſcriptor in animo habuit* (a). Caute igitur agendum eſt, ne ad argumentationem progrediamur, nisi prius univerſa quae de re qua-

libet

(a) *Logicae* Part. IV. Cap. 8. n. 5.

Digitized by Google

libet controverſa enumerari poterant conſtituerimus.

Atque haec haſtenus tradita cuncta illa mihi viſa ſunt, quae de profligandis ab intellectu praejudiciis elucubrari neceſſe fuerit: Quamquam tradenda ſupereſſe nonnulla fortaſſe poterant alia, quae multo minoris momenti equidem cenſui, quam quae a multis hujuſce artis ſcriptoribus vulgo haberi contigerit. Nihilominus mihi dicendorum brevitatem, utilitatemque cogitanti continuo quae de voluntatis vitiis ſcribenda erant reliqua ſeſe obtulerunt. De hiſce ergo nonnihil diſſerere perinde operae praetium eſſe duxi, ne quid perfectae argumentationi deeſſe poſſet.

§. VIII.

TAmetſi erroribus equidem plurimis, atque non levibus in arguendo vitiis ex male inſtituto ingenio aditus pateat; attamen non temere dixerim ſi voluntatis vitio ſaepius peccari ſoleat, ejuſque morbus difficilius omni dubio procul ſanari valeat: Etenim Philautia noſtra adeo ſupra caeteros in rerum cognitione ſeſe effert, ut non ſolum plane certa ea omnia videantur, quae ipſi excogitavimus, verum etiam aliis ita firma eſſe volumus, ut caecutire nobis appareant, qui contrarium ſentiunt vitioque vertamus putidi livoris atque in-

invidiae, ſi quis judicio noſtro ea ſuper re refragari, quaeque ipſi defendimus, audeat oppugnare. Qua in re duo eſſe video ſapientum hominum genera, qui aſſidue de omnibus loquendi, ſcribendique ſtudio ſolliciti, quae ſive natura duce, ſive indefeſſo ſtudiorum labore ſunt aſſequuti publico, privatoque litterarum incremento inſervire conantur. Unum genus eſt eorum, qui uſitatis pervulgatiſque Scriptorum ſententiis, ac Canonibus contenti, nihil praeterea recens excogitatum legere, ſive audire curant, nihil quod non ex propria meditatione prodierit attingere conantur amplius; qui ut judicium audiunt a ſuis illis opinionibus abhorrens, continuo tragoedias cogitant, ac totum ſcientiarum florens imperium extemplo periclitandum eſſe conclamant. Quamobrem hoſce perſaepe videas univerſa a recentioribus ſcite adinventa adſpernari, aut ſaltem ita negligere, ut nihil rectum ſe habere velle, niſi quod ſibi aliquando placuit, teſtatum faciant. Alterum autem genus eſt hominum, qui ita rerum novitate delectantur, ita intemperantis ingenii fraena laxarunt, ita univerſa tametſi certiſſima in dubium revocari haudquaquam verentur, ut quid verum, quid falſum, quid certum, quid dubium ab ipſis amplius nequeat internoſci, ac ſcepticorum more omnia ſuſdeque miſceatur. Atque illud maxime in cauſa eſſe arbitror, quod alieno

tan-

tantum ſapere ingenio rubore propemodum excrucientur, atque nova in dies emendandi, poliendi, atque excogitandi effraeni ardore rapiantur (non illos pudor, non graviſſimorum hominum auctoritas, non ipſa denique Religio a tanto innovandi impetu valet revocare.) Quod ſi forte ad veritatem detegendam conducibilius exiſtiment inter rixas perpetuo verſari, omnia cavillari, neque quid certum ſequantur habere, perniciosiſſime falluntur in re graviſſima, ac non modo nihil litteris proſunt, ſed vehementer etiam incommodant. Efficit igitur amor noſtri, ut non ſolum, quae ſentimus ipſi, reliquos ſentire velimus, ac ſi recedant adſpernari; verum etiam eo nos ſuperbia perducit, ut quae liberiori, quam par erat opinandi audacia excogitavimus, tametſi a nobis temere dicta, ac plane falſa cognoſcamus, pertinaciae ergo defendamus, atque ne a ſapientioribus emendentur, obſiſtamus. Hoſce ergo velim utroſque ſaepe revolvere animo, ſerioque animadvertere, levitati ſeu dedecori, haud eſſe vertendum, ſi a cognito damnatoque errore diſcedere, ac ſe deceptos eſſe fateri veritatis luce compellantur: ſuperbae vero ſtultitiae maximam eſſe perſeverantiam, ut monet Seneca (a) *quod ſemel dictum eſt, qualecunque ſit, fixum ratumque tenere.*

§. IX.

(a) *De Benef.* lib. IV. Cap. 38.

§. IX.

QUemadmodum ex privato uniuſcujuſque amore, quo omnes ſua tueri, eaque reliquis anteferre ſtudent probroſum voluntatis oritur ſophiſma; ita in alios immoderatus amor eo nos plerumque urgere conſuevit, ut eorum, quos vehementer diligimus dicta, geſta, aut ſcripta ſummis laudibus efferamus; ſapientiam, aliaſque ex genio tantum noſtro confictas naturales, partaſve praeſtantiſſimas dotes celebremus; atque ex adverſo in iis, quos oderimus animi vitia, falſo etiam, quamplurima detegamus: Uno namque odio faſcinati ſatis eſt, ut veſano ejus correpti libito continuo illi pro temerariis, ſuperbis, perfidis, abſque honore, & abſque Religione traducantur.

§. X.

HInc ex eodem fonte aliud itidem dimanat voluntatis ſophiſma, *quod nonnulli argumentum ab invidia ductum* ſatis apte appellant. In eo enim eſt poſitum, quemadmodum docet Tullius, (a) *ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem gravis offenſio concitetur*. Multis porro modis, ex iiſdem Auctoribus invidia

(a) Lib. I. *de Inventione* Cap. 53.

dia conflatur: Concitatur enim I. quum ſententia, quam impugnandam aggredimur, non ingenue, & ſua nativa facie, ſed perperam, & inique exponitur. II. quum nominibus invidioſis, exoſiſque titulis illa infamatur. III. quum eadem iis confertur, quae jam ab Eccleſia damnatae ſunt, quaſi commune aliquid cum illis haberet. IV. quum pondus controverſiae augetur, maximique momenti res ipſa fingitur, quamvis in ſe ſit leviſſima. V. quum auctor accuſatur, quod voces uſu, pluriumque auctoritate conſecratas, adhibere noluerit, ut hinc callide dogma rejiceret, quod vocibus illis exponi ab omnibus ſolet. VI. quum oppoſitae ſententiae rationes, atque principia malitioſe occultantur, vel ita exponuntur, ut nullius prorſus valoris, atque ponderis illae appareant. VII. quum tacentur incommoda, quibus opinio noſtra praemitur, & occultantur momenta, quibus convelli ipſa poteſt, vel plurimum labefactari. VIII. quum viciſſim ex ſententia, quam oppugnamus, invidioſa conſectaria deducuntur. IX. quum non ſolum nulla eorum mentio efficitur, quae auctorem excuſare poſſunt, verum etiam in malam partem accipiuntur, quae explicari commode queunt, & ſano ſenſu intelligi. X. quum plura in diſceptatione miſcentur, quae penitus abs re ſunt, ad creandam tamen invidiam quam maxime conferunt. XI. quum novitas, quaſi crimen, obiicitur.

citur. XII. quum contraria ſententia paucorum eſſe, & quidem exiguae famae, oſtenditur; qui vero illi adverſantur, viros eſſe eximios, atque doctrina apprime celebres. XIII. quum ex peritis, idoneiſque judicibus fit provocatio ad iniquos, & imperitos. XIV. quum denique contrariae ſententiae patroni, ac fautores, perinde ac ſi perturbatores eſſent publicae tranquillitatis apud viros principes infamantur, malignisque ſuſpicionibus exponuntur, quaſi de regnis, de veritate deque ipſa fide actum plane ſit, ſi eorum doctrina in ſcholis recipiatur.

§. XI.

IN aliud praeterea extremum inveſtigandae veritati non minus ſane incommodum voluntas ipſa non recte exculta quandoque dilabitur. Extant, & quidem non pauci, qui doctorem unum ita prae caeteris diligunt, ejuſque dicta adeo religioſe ne dicam ſuperſtitioſo cultu venerantur, ut non dedecori ſolum, verum etiam crimini ducant ab illius verbis ne latum quidem unguem diſcedere. Tantum quippe apud eos poteſt praejudicata Magiſtri auctoritas, in cujus verba jurant, ut non ſecus, ac de Pythagorae diſcipulis olim praeclare ſcripſerat Tullius (a) ita etiam abſque ulla prorſus ratione ejus dictum ad objecta quae-

libet

(a) Lib. I. *de Natura Deorum* Cap. 5.

libet ſolvenda idoneum maxime exiſtiment.
Vitium ſane omni ſtudio ab ingenuo veritatis inveſtigatore vitandum in Philoſophia praeſertim, ubi nihil certe fas eſt decernere, quod a ratione, ab experimentis; ſive ab eo, ſaltem, quod veroſimilius apparet, non fuerit profectum.

§. XII.

Ex varia itaque ſententiarum diviſione, quae inter multiplices Philoſophos ſemper obtinuit, invidia, quaedam coorta eſt contradicendi, & pervicax decertandi libido, quae eo inimica eſt veritati, quo ferventius, quam dici valeat gloriae vertamus quocumque praetio, ac diſcrimine pro ſectae noſtrae dogmatibus, tanquam pro aris, & focis pugnare; aliena vero adverſa placita nervis omnibus impugnare. Quis autem non perſpiciat hoſce impetendae contradictioni aſſuetos homines ad verum abſque errore detegendum impares fieri penitus? Etenim ut ſcite admodum animadvertit Clar. Artis cogitandi Auctor (a). *Nihil poteſt nos magis a veritate ab alienare, quam haec diſputandi prurigo: hinc ſenſim aſſueſcimus ubique rationes invenire, vel potius ubique rationibus noſmetipſos praeferre; illis enim nunquam cedimus, nunquam manus damus; hinc gra-*

(a) Parte III. Cap. 20.

gradatim eo deducimur, ut nihil certi habeamus, ut una veritatem, & errorem confundamus utrumque in eodem probabilitatis gradu collocantes: hinc tam rarum eſt, ut diſputandi lites dirimantur: hinc numquam ferme altercantes Philoſophi in eamdem coſpirant ſententiam; ſemper aliquid ſupereſt quod regerant, quod in ſui defenſionem proferant. Cavendum eſt itaque, ne ſi aliquem tametſi probatiſſimum praeceptorem ſeligamus, tantum ei tribuamus in rebus perſcrutandis, quantum viro caelitus delapſo honoris atque fidei adhiberi debere putaremus. Refert certe plurimum in quacumque arte unum in illa excellentem ſibi Scriptorem proponere, cui nos potiſſimum tradamus: Nullus tamen, quamtumlibet eruditus, ſentiendi, ac diſſentiendi nobis auctor futurus erit; nemo enim fuit omnium, qui non, ut homo interdum hallucinaretur. Cohibendi vero cum primis ſunt effraenes animi motus, atque inter diſputandum inconſulta quaedam vincendi quoquo modo cupiditas compeſcenda; ne, dum inanem puerilemque triumphum conſectamur, aufugientem ex oculis veritatem amittamus.

SECTIO VI.

De vitioſis ratiocinationibus quibuſdam, quae in vita Civili ducenda, ac in ſermone communi plerumque contingunt.

QUae nos decipere in judicando affirmavimus; externa videlicet veritatis ſpecies, atque ementita rerum facies; eadem in vita Civili, atque in vulgari ſermone inter arguendum in errorem nos ſaepe valent adducere. Quapropter de hiſce fallaciis levi calamo agendum mihi perinde propoſui, ut nihil, quod ad emendandum ingenium poſtulatur, deſiderari valeat.

§. I.

CAvendum ergo maxime eſt, ne cum de rebus, ſeu de hominibus judicium ferre volumus, ita veritatem mendacio, vitio virtutem, crimini probitatem permiſceamus, ut impoſſibile deinde factu ſit unum ab altero poſſe ſecerni. Efficit namque fallax haec mixtio, ut naevos ſaepe ſaepius commendemus in illis, quos ob praeclaras caeteroqui animi dotes ſu-

ſpicere jure deberemus; quae vero laude ſunt digna propter vitia quaedam in aliis detecta vituperemus. Recta itaque ratione, & aequitate duci patiamur ut, ſi qui forte errores in operibus ſive in hominibus deprehendantur, accurato ſtudio a vero falſum reiiciamus, ſerio animadvertentes veritatem non minus veritatem eſſe, quod nonnumquam mendacio, ac falſitati interſperſa videatur; ac demum veritas commendetur, vitium a nobis incorrupte damnetur. Ejus rei luculentum prae innumeris, quae concinne afferri poſſent, exemplum in omnium Dialecticorum Principe Aurelio Auguſtino contemplari ſatis commode licet, qui ab haeretico Donatiſta Tyconio in ſuo *de Doctrina Chriſtiana* evulgatiſſimo opere Canones ſeptem ad ſacros interpretandos codices mutuari non dubitavit, ut praetereamus Sanctos reliquos Eccleſiae Patres, qui ex Ethnicorum libris optima quaelibet ad informandos mores eximia induſtria delibarunt.

§. II.

QUoniam vero ad diſcernendum accuratius, quid boni malive unicuique rei ſit non ſemper ſatis otii, & temporis habemus; quocirca, ne hac ſuper re decipiamur optimorum virorum, ſeu Academiae alicujus judicium ſpectandum eſt, eidemque inhaeredum; cui accedat

cedat etiam leve ſaltem aliquod ſtudium noſtrum; Inde ergo boni malive ſumma tuto illa peti poterit, quae in opere quolibet, juxta initum calculum ejuſdem boni vel mali exceſſum habere comperietur: Ita illum bonum ac ſectandum laudabimus Philoſophum, ſeu librum, de quo vel noſtro, vel alieno judicio, ut plurimum legitime argumentari, ac multo plus boni quam mali complecti, nobis certo conſtabit.

§. III.

PErperam deinde de hominibus eorumque ſeu merito, ſeu dedecore exiſtimamus; vel quum falſo quodam dignitatis ſplendore, vel quum inconſulto judicandi contra eos impetu ſeduci facile patimur: Inter ea profecto, quae a veritate nos concinnitate, ac fulgore ſuo plerumque ſolent abducere, merito cenſenda eſt turgida quaedam, magnifica, floribuſque intertexta eloquentia. Mirum ſane eſt quantum obrepat, quam placide demulcendo aſſenſum noſtrum ſurripiat, quum vel numeroſa periodus aurium ſatietate attentos adoritur, vel quum peregrinum & inſolens ſchema aliquod auditores in ſui contemplationem totos convertit. Hinc Oratores, praeſertim ſacros, celebrandi in rerum geſtarum Diariis mos adeo invaluit, ut nemo ferme ſit, qui ex pervagata doctri-

nae ſublimitate in iis Eloquentiſſimus non audiat. Nemo tamen emunctae naris ex tanto Oratoriae artis apparatu, atque lenocinio ita capi debet; ut ſimul non recte arguat, nihil eſſe a ratione remotius, quam ſapientiſſimum eſſe illum inferre, in quo praeter ſermonis elegantiam, admirandamque Schematum pulcritudinem, reliqua omnia deſint. Etenim quae ſpecie tenus venuſta tantopere placent, nihil equidem ſunt, quam quae in Pictore colorum adumbrationes, ideſt Oratoriae artis pars infima; cum tamen ejus ſit praecipuum munus dicenda luculenter, vehementerque animo concipere, concepta ita enarrare, ut vivida ſplendenſque illorum imago ipſis auditorum animis ingeratur; deinde pari dicendi vi affectuum vehementiam permovere. Quum itaque ſepenumero Oratores illi, qui nimium in vocibus eligendis, ornamentiſque conquirendis morantur a rerum contemplatione, cogitationumque veritate avocari deprehendantur, immerita prorſus argumentatione concludere nefas erit, id genus homines ſapientiſſimorum numero, ut paſſim fit, adcenſeri debere. Quapropter ob oculos frequenter vulgare illud monitum debemus conſtituere; ne videlicet ſecundum faciem, atque ex rerum cortice, ut ajunt, pro Eloquentiae profeſſoribus decernamus; eos vero cum auſcultamus è longe petita gradatione, ſive multiplici anthitheſi, aut exordientes aut diſſe-

differentes, ſedulo eſt attendendum, utrum ex tanto ſententiarum verborumque ambitu veritatem ſervent illaeſam, nec a propoſito ſibi ſcopo detorqueant.

§. IV.

Quae de eloquentiae fallaciis hactenus dictum eſt, eademet communi, ac familiari, ut ajunt, ſermocinationi accomodari voluimus. Quot ſane de aliorum eruditione recte judicaſſe ſibi blandiuntur, quod cincinnata, atque extima tantum quorumdam inter loquendum venuſtate ſe allici ſentiant. Quot itidem de aliorum inſcitia rite ſenſiſſe arbitrantur, quod nonnullos ceteroqui doctos, ac perſpicaces, lingua tamen titubantes, ſeu officioſae ſalutationis verbis appoſite non reſpondentes audierint: Vitanda itaque ſunt ejuſmodi vitae Civilis praejudicia, atque intima tantum hominum ſubſtantia ſpectanda.

§. V.

At adverſus homines inconſulta judicandi impetu abripi facile patimur, quum temere de eorum geſtis, atque conſiliis expendendis cogitamus. Vitium equidem inter nos frequentiſſimum, in quod tamen nonniſi, qui male ratiocinantur labi ſolent. Etenim quum

omnes cauſas e quibus effectus aliquis prodire poteſt perſpectas & exploratas non habeamus, quocirca uni tantum principio illum tribuentes ſtultiſſime decipimur. Quod ut exemplis clarius fiat, conſtituo, virum doctum eadem cum haeretico ſentire in rebus a Religione omnino disjunctis. Continuo infert malevolus, eum haereticae pravitati adhaerere; ſed temere, & falſo: Quidni ſententia cum Heterodoxo communis a ratione atque veritate abſque ulla Religionis injuria potuerit illi commendari? Quis praeterea flagitioſi hominis amicus eſt; Ergo (inferunt nonnulli) communia cum illo habet commoda, atque ejuſdem flagitiis participat; quod tamen minime ſequitur: Poterat enim vel eorum ignoratione, vel civilis vitae negotiorumque neceſſitate familiaritatem iniviſſe, eademque ſemel ſancita facinoribus nunquam conſenſiſſe. Innumera ſunt profecto, quae allegari, id genus, exempla valerent; ab his tamen laudandis temperare brevitatis ergo decrevi. Unuſquiſque vero cordatus ita ſe debet continere, ut priuſquam ratiocinari pergat, vel cuncta ſibi perſpicue deberet objicere, vel ab argumentatione deſiſtere.

§. VI.

§. VI.

NUnquam vero crebrius argumentando fallimur, quam quum temere de rerum veritate decernere volumus ex auctoritate illa, quae fidei faciendae impar eſt; vel quum de rebus ex apparenti quodam veri lenocinio pronunciamus. De hoc ſatis dictum eſt, quum de falſo eloquentiae ſplendore nonnihil §. III. innuebamus. In auctoritate autem, quae ad fidem faciendam potiſſima eſt; quae nimirum nullo ſuffulta rationum robore, aut evidentia hominum mentes arctiſſime ſibi devincit, unus eminet D. O. M. Suprema veritas, quam nec falli nec fallere poſſe nos ſane non latet: Caeterum humanae reliquae, etſi praeſtantiſſimorum Virorum auctoritates, ejus haudquaquam penes nos ponderis eſſe debent, ut in rebus praeſertim philoſophicis ingenium noſtrum mancipentur. Hic itaque recolenda ſe produnt quae §. §. XI. XII. de ſectandis Praeceptoribus, nec non de hujuſce rei cavendis praejudiciis obiter ac pro re nata agebamus; ac deinde peſſima quaedam *ab auctoritate* arguendi peccata fugienda ſolertiſſime. Quorum equidem primum in eo verſatur, ut non eorum tantum, qui Viri optimi atque eruditi ſunt, dicta cum exiſtimatione ſuſpicemur; verum etiam quum ſcilicet ideo alicui fidem ha-

bemus, quia Vir nobilis eſt, divitiis, aut dignitate conſpicuus; vel denique dum ex teſtium ſuffragantium numero ſententias aeſtimamus, nulla facta animadverſione, quid ex hoc numero probabilitatis accedere poſſit ſententiae, quum defendere volumus. Reliquum eſt igitur, ut nobilium virorum, ut multitudinis teſtimonio ſuffragemur, atque inde ad arguendum tuto progrediamur, ſi huic tamen rationum robur accedat quod firmiſſime perſuadeat; adeo ut eorum tantum valeat auctoritas, quantum ratio.

CA-

CAPUT QUARTUM.

De Methodo & vario illius genere.

QUanquam duo ut vulgo fertur ſolemnia illa methodi genera a Logicis tradantur Analyticum nimirum unum, Syntheticum alterum; neminem tamen mihi exprobrare poſſe arbitror quod alia duo mox enumeratis adjicienda curaverim; ſtudendi videlicet, nec non diſputandi methodos non minus ſane veritatis aſſequutioni accomodatos.

Methodus ergo antequam ulterius progrediamur, ars illa definiri legitime conſuevit, qua plurium cogitationum diſpoſita ſerie ſuiſque unaquaque ſedibus ſecreta, ac conſtituta veritate, vel hanc latentem inveſtigare, eique ſtudere conamur, vel ſemel perſpicue ac diſtincte cognitam aliis demonſtrare, & pro illa tota contentione diſputare laboramus.

Ex qua paucis comprehenſa verbis definitione continuo patere arbitror quantum reliquis mentis noſtrae operationibus id genus munia dignitate praeſtent, quae nimirum earum apices, & complementa, quodammodo dici fas ſit, neque enim ſuum illa mens nempe finem, cognitionem ſcilicet veritatis, aſſequi unquam poſſet niſi recto in rebus inveſtigandis itinere incederet, atque adeo niſi certa methodo ſeipſam dirigeret. De illa itaque, qua verum inveniendum eſt; tum de illa qua verum nobis perſpectum caeteris eſt explicandum agemus, quibus deinde pauca de methodo ſtudendi, nec non aliqua de metodo, quae diſputationis dicitur, ſubjiciemus.

SECTIO I.

De methodo Logico = analytica, ſive inventionis.

INveniendae veritatis ſcientia haec tanti facienda eſt profecto, quanti intereſt veritates noſcere, & humanae ſcientiae opes amplificare, atque in immenſum augere. Illa namque eſt, qua cogitationibus noſtris perbelle diſpoſitis quantum humana conditio patitur vo-

verum quod nos latet detegamus. Dicitur autem *analytica* nimirum *reſolutoria* (eſt enim *analyſis* Graece quod latine *reſolutio*) quia ad latens quodlibet verum aperiendum omne totum dividi debet in ſuas partes, omne compoſitum ad ſua neceſſe eſt revocari principia omniſque effectus ad ſuam cauſam referendus. Verum tametſi praeclariſſima haec, imo potiſſima rationalis Philoſophiae pars tanti habenda ſit, quanti ipſa veritas, attamen proh nefas! illam veteres philoſophi vix, aut ne vix quidem attigerunt, & quamvis & recentioribus metaphyſicis nonnulli, quos inter Clar. Mallebranchius, longe accuratius, ac fuſius de inquirenda comparandaque veritate egerint, horum tamen nullum ſatis, ac pro dignitate de tanta tamque proficua facultate ſcripſiſſe contendo.

Nos ergo quaecumque ab aliis utili lucubratione hac in re litteris ſunt conſignata ſeligemus, quibus plura etiam, atque ea quidem opportuniſſima ſubjiciamus, quae metaphyſici, ac Dialectici intacta reliquerunt; ex quibus nova quaedam tractationi facies breviſſime quantum fieri poterit nitideque accomodabitur.

§. I.

§. I.

ANtequam autem opus aggrediamur animadvertendum eſt eam eſſe hujuſce mentis noſtrae naturam, ut non quaecunque ei incomperta ſunt aſſequi poſſit; plura enim exiſtunt rerum genera, quae intellectus humani aciem omnem effugiunt, quaeque ultra humanae ſcientiae limites, conſtituta, ac poſita ſunt. Ne quis ergo forte tempus & operam inutiliter perdat in iis inquirendis, quae denſiſſimis ſemper circumfuſa tenebris in profundo demerſa jacent, opportunam ducimus paucis hic ea omnia complecti, & percenſere, quae nullatenus ignorare nequimus; deinde Canones conſignare nonnullos, quibus in iis rebus cognoſcendis ingenium noſtrum haudquaquam excedentibus tuto manuducamur. Itaque inter innumera ferme illa, quae nos latent prorſus, ſemperque homines latebunt, plura merito recenſeri poſſunt, quae ſenſuum ope nos vere percipere, licet falſo, opinamur. Ita ex. gr. certo ſcire poſſumus corpus aliquod alio majus eſſe: Attamen non aequa perinde certitudine attingere valemus, quae quantave nativa illius ſit magnitudo. Etenim ut ejuſmodi aſſertum clare pateat, animadvertendum eſt, ſi omnes huc uſque homines perſpicillis objecta augentibus uſi fuiſſent, fore ut eam objectorum ma-

gnitu-

gnitudinem conſpexiſſent, quam modo perſpicillis inſtructi intuentur. Quamobrem quum oculi noſtri ſint naturalia quaedam, licet admodum complicata, conſpicilla, quidni ſuſpicari nobis jure fas ſit, num quae juxta exactam ſui magnitudinem objecta corpora nobis exhibere putantur, forte vel augeant vel imminuant? ſive num perſpicilla arte facta, quibus objecta ipſa minora ſeu majora oculis noſtris obverſari arbitramur, eadem ex adverſo verae ac naturali eorum reſtituant magnitudini? ex qua brevi exempli expoſitione aliud etiam conſequitur non minus incertum; utrum nimirum parem omnes homines in rebus magnitudinem cernamus? Nam licet duo in eodem corpore dimetiendo conſentiant; atque illud ſeſquipedale eſſe ambo fateantur; illis tamen fortaſſe non convenit pes quantus ſit cum uterque tantae magnitudinis illud concipiat quantae ab oculis in retinae fundo pingitur.

Quae de corporum quantitate ſeu magnitudine dicta ſunt, eadem quantum ad incertitudinem de eorum intima ac genuina ſubſtantia pari ratione fari neceſſe eſt. Nulla enim rerum corporearum eſſentia, ut ajunt, funditus introſpici poteſt; quod facili negotio demonſtratur. Enim vero eſſentia materiae id ſane eſt, quodcumque ſit, per quod materies apta nata eſt ad eos omnes effectus producendos,

dos, aut patiendos, quos producere, patique poteſt; atque hujuſmodi illud eſt, quod eſſentiae nomine intelligimus: Attamen quidam id ſit penitus certoque cognoſcere nullatenus poſſumus. Nos equidem experientia docente minime latet materiem extenſam, dividuam, ſeu in partes ſciſſilem, mobilem quoque, figurabilem, ut ajunt atque impenetrabilem eſſe, ejus nimirum naturae, ut duo ſimul corporis partes in uno eodemque nequeant exiſtere loco, mutuoque compenetrari, ut phyſici omnes cum recentes, tum barbari loquuntur atque demonſtrant. At quidnam id ſit per quod materies ad haec enumerata apta ſit, & comparata quis nam divinabit? Id ſane ſenſus non oſtendunt, ut liquet, nec ratione argui citra erroris periculum, quid qualeve id ſit, poteſt. Etenim ex. gr. quis certo tutoque decernere valet quidnam in materia qualibet lateat, quod mutuae partium compenetrationi immenſa vi atque ineluctabili obſiſtat? Id ſane ab extenſione non derivat quemadmodum a pura extenſione nec reliquae materie proprietates neceſſario conſequuntur, atque dimanant. Et re quidem vera ſimplex meraque extenſio in longum latum & profundum non eſt ſciſſilis ac dividua in partes, non eſt mobilis, non eſt in immenſum protracta, nec figurae cujuslibet capax eſt, niſi quatenus cum materia cujus eſt extenſio compenetratur, quemadmodum corpus

pus cubicum ex. gr. cum ſpatio aequali cubico, ſeu cum ſimplici extenſione locali cubica abſque ulla prorſus reſiſtentia compenetratur, atque in uno eodemque loco conſiſtunt. At vero duo corpora cubica aequalia profecto nulla vi, nullaque ratione compenetrari, & in uno eodemque loco conſtitui poſſunt. Igitur materiae proprietates ab extenſione neceſſario haudquaquam profluunt ſeu conſequuntur, ſed tota earum cauſa incognitum quodpiam eſt ſubjectum, quod partibus neceſſario conſtat, quod ſciſſile eſt, quod loco moveri & quieſcere poteſt, quodque partium compenetrationi obſiſtit. Verum eſt equidem ſublata a corpore quolibet magnitudine, ſeu extenſione, caeteras quoque ejus proprietates cognitas auferri. At ex una ac ſimplici extenſione certo perinde phaenomena, quae materiae competunt profluere, haudquaquam licet affirmare aut arguere; proindeque aliquid plane diverſum in materia ipſa delitescit, ut animadvertimus, ex quo illa oriuntur; atque hoc aliud, quodcumque ſit, ejus eſſentia eſt: Atqui hoc aliud nulla ratione introſpici, citraque erroris periculum conſtitui ac demonſtrari neutiquam valet. Materiae igitur natura ex earum rerum eſt numero, quae omnino captum noſtram effugiunt, a quorum etiam inveſtigatione viros decet ſincerae veritatis amatores abhorrere.

Eju-

Ejuſdem ſunt generis peculiares aliquorum corporum eſſentiae ſeu id omne, per quod peculiaria corpora apta nata ſunt ad eos omnes effectus, non univerſis corporibus communes producendos, & patiendos, quos producere patique poſſunt; quae quidem peculiarium corporum eſſentiae, vel naturae, ex quibus phaenomena non omnibus communia oriuntur, variae ſunt; in variis nempe atque in iiſdem omnino phaenomenis, & effectionibus producendis patiendiſque: Eſſentias autem peculiarium corporum penitus, funditusſque introſpici non poſſe ab hominibus ita facile evincitur. Nam id, per quod ex. gr. aurum aptum eſt ad illos effectus omnes non communes producendos, & patiendos, quos producere, patique poteſt, vel, inquam, id omne quidpiam eſt a materiae modificationibus quibuslibet, a mechaniſmo quocumque particularum, quae aurum conſtituunt diſtinctum; vel nil aliud eſt, niſi figurae, texturae, combinationes conſtitutioneſque particularum omnium, quibus aurum conſtituitur; quae omnia intrinſecus mechaniſmus particularum aurum componentium appellantur.

Si natura, & eſſentia auri quidpiam eſt ab intrinſeco ejus mechaniſmo diſtinctum, quis divinabit, quidnam omnino qualeve id ſit? ſi vero peculiaris eſſentia auri ſita eſt in peculiari intrinſeco mechanico ſyſtemate particula-

cularum omnium, ex quibus aurum coaleſcit, ut phyſicorum ſapientiſſimi docent; adhuc nulla ſpes ſubeſt auri eſſentiam penitus funditusque dignoſcendi. Etenim integrum mechanicum corporis illius ſiſtema nec funditus introſpici poteſt ope ſenſuum, nec certo argui poteſt, quodnam, qualeque ſit ex phaenomenis, & effectibus; non ope ſenſuum, nam nimis hebetes, & imbecilles ſunt; microſcopia autem non ſufficiunt, quaecumque tandem ſint, nam quantumvis acutiſſima ea ſupponamus, numquam tamen poterunt particulas omnes tenuiſſimas, earumque particularum partes univerſas reddere ſenſiles, & conſpicuas, eoque minus intimas earum ſtructuras, & texturas, conſtitutiones & ordinem nobis retegere; non igitur mechaniſmus intimus auri, penitus, funditusque dijudicari poteſt ope ſenſuum.

Non poteſt autem certo, tutoque argui, ne ex effectibus quidem, & phaenomenis, quod vel hac ſola ratione evincitur; etenim ſi arguendus eſt mechaniſmus auri ex ejuſdem proprietatibus, aut phoenomenis, neceſſe imprimis eſt, ut phoenomena omnia ad aurum pertinentia, nullo plane excepto, in numerato habeamus; atqui nunquam certo ſcire poterunt homines, ſibi compertas eſſe proprietates omnes alicujus corporis, quodcumque ſit, & ratio eſt quia proprietates rerum, quarum phyſica

ſica eſſentia penitus, funditusque nobis non eſt perſpecta, retegi non poſſunt, niſi per experimenta; atqui haec numero infinita ſunt nec unquam exhauriri poterunt, aut exhauſta, & tentata eſſe, universa demonſtrari; igitur nunquam certo ſcire poterunt homines ſibi proprietates omnes alicujus corporis nulla excepta innoteſcere; ergo ex effectibus, & proprietatibus, nunquam vel ex hoc ſolo capite arguere poterunt citra erroris periculum quodnam ſit intimum, integrumque mechanicum ſiſtema particularum omnium ſenſilium, & inſenſilium, quibus aurum, aut quodvis alind corpus elaboratum conſtructumque eſt. Ergo peculiarium corporum intimae peculiares eſſentiae, nec ſenſibus introſpici, nec ratiocinatione, a proprietatibus, & effectibus certo & ex integro argui poſſunt. Ergo quaenam, qualeſve ſint peculiarium corporum verae, ac phyſicae eſſentiae, & naturae, nunquam non ignorabimus, quod erat ſecundo loco ſuadendum.

§. II.

A Sincero itaque veritatis cultore quum id genus inveſtigationes aut his ſimilia fugienda, tum maxime ab aliis item explorandis, quae adeo ſupra nos ſunt abſtinere debemus (quod Dei Opt. Max. potentiam ejus arcana, aut latentem providentiae ſuae ordinem

nem reſpiciant,) ut nulla eorum attingendorum ſpes ſubeſſe valeat: Quid ridiculum magis (ne inſanum dicam) illa pervestigare, de iiſdem velle decernere, brevibuſque humani ingenii finibus coercere; poſſibilis ne ſit nimirum ab aeterno creatura? Deus ne corpus magnitudine, motum velocitate, numerum multitudine infinita poſſit efficere? An numerus infinitus par erit futurus, aut impar, an infinito major? Quid item hominibus Adamo non peccante fuiſſet eventurum? Quid de Chriſto mediatore Dei & hominum ſit opinandum ſi idem Protoparens noſter a ſolemni cum Deo inito pacto foedifragus non defeciſſet? Quid de innumeris pene reliquis, quae Scholaſtici Tractatores indicibili animi aeſtu magnaque inter adverſos Scholae Sectatores contentione excitarunt? Quae equidem omnia quam ſcite nonnulli, fatentes ſe prorſus ignorare, decernant, nemo recte ſapiens poterit refragari.

§. III.

IN tanta ergo rerum percipiendarum difficultate, ſi intra anguſtos hujus vitae noſtrae fines, aliquid ſive certum, ſive ſaltem veroſimile aſſequi cupimus, quin caſſo penitus ſtudio tempore abutamur illa a nobis ſunt ſecernenda conſultius, quae ſapientiorum judicio vel perſpicua certoque cognoſci valent, vel alia

quaedam: quorum tametſi veritatem nondum tumus aſſecuti, ſed quam deinceps aſſecutores ſperamus, a reliquis univerſis, quae principiorum defectu, aut ſui altitudine mentis noſtrae infirmum exilemque captum ſuperare compeiuntur: In qua equidem tota, qua late patet veritatum addiſcendarum ſerie tria eſſe video a doctiſſimis viris ſecreta quaeſtionum genera, ad quae animum convertere, & de quibus tuto decernere valeamus; vel enim ratione duce, quaeſtionis alicujus haberi poteſt ſolutio; illam nimirum inferendo, & deducendo per conſequens ab aliis judiciis, ſeu propoſitionibus praecognitis, aut praenoſcendis juxta huc uſque ſancitas recte cogitandi Leges. Vel experimento aliquo facem praebente illud de quo queritur a nobis dijudicari fas erit; In quo ſedula attentio ne decipiamur impendenda eſt cauteque pervidendum, ne in aliquibus experimentis ad rem noſtram uſurpandis hallucinemur, putantes ea praeconceptum aliquod phaenomenon illuſtrare poſſe, quae oppoſitum vel plane diverſum aliquid latens intra ſe continent: Vel denique tota veri alicujus expoſitio ab alieno pendet teſtimonio ſive ut rectius loquamur id genus quaeſtiones uni ſeu divinae, ſeu humanae auctoritati duntaxat innituntur. Maneat igitur ex triplici hoc fonte quaeſitorum rerum notiones. *Ratione* nimirum *experientia* nec non *alieno Teſtimonio* univerſas a nobis eſſe perpetua lege hauriendas.

§. IV.

Antequam vero ad cujuſcumque quaeſtionis ſolutionem devenianius animadvertere attente debemus cujuſnam generis ea quaeſtio ſit, quam enodandam aggredimur; utrum nimirum ex una ratione, ſive a ratione experimentis conjuncta, ſive demum ex alieno teſtimonio, cui tamen rationum experimentorumque robur accedat, exſpiſcari illam debeamus. Hujuſce legis ratio in propatulo eſt, quia non una eademque via perveſtigari valet quaeſtionum enodatio, nec in quibuslibet quaeſtionibus pro libito noſtro iiſdem fontibus uti poſſumus. Etenim quaedam perſaepe occurrunt quaeſtionum genera, quae nonniſi ex uno capite abſolvi permittuntur.

§. V.

Si expedienda quaeſtio primi generis ſit, ſi ejus ſolutio ab experientia, aut alieno teſtimonio neceſſario non pendeat, ſique attributa quaeſtionis propoſitae quaeſitum ſubjectum manifeſto non oſtendant, tunc omni mentis attentione & conatu excogitare debemus quaenam alia attributa, ſeu proprietates per neceſſarias conſecutiones profluant ex iis, quae ſtatutae quaeſtioni attribuuntur; atque

hujuſmodi proprietatum ex proprietatibus deductio eo uſque protrahenda eſt, quo uſque aut aliquam detexerimus, quae ſubjectum quaeſitum veluti digito monſtret, aut omnium collectio, & complexus in medium proferat exhibeatque quod quaeritur. Etenim in unaquaque re, & quaeſtione praeter attributa omnibus, & pluribus communia ſemper aliquid habetur nobis plane notum, ſive quaedam inſunt illis prorſus peculiaria, atque ut vulgo dicitur, characteriſtica; ex quibus perſpectis, vel ſeorſum, vel ſimul conjunctis ad latentis veri aſſecutionem viam facile ſternere poſſumus. Quod certe ut commodiori negotio characteriſtica ejuſmodi nobis occurrant non parum profuturum arbitror ſi ſequentes ſerventur Analyticae hujus artis Canones.

Sedulo curandum eſt, ut clare ante nos ſtatuamus nitideque definitum ac perſpectum illud teneamus imprimis, in quo noſtra verſari debet inquiſitio. Alioquin huc atque illuc continuo divagabitur mens, quin unquam ad expetitum ſcopum perveniat.

Removenda deinde ea omnia ſunt, ac penitus negligenda, quae ad propoſitam quaeſtionem nullatenus ſpectant; ſed illud dumtaxat ante oculos ſemper habeamus oportet quod cupimus reperire. Neque enim tanta eſt humani ingenii facultas, ut in pluribus verſari ſimul poſſit eaque omnia perfecte attingere quibus contemplandis incumbit.

Scindendum eſt, quoad poſſumus, omne totum in ſuas partes, omne genus in ſuas ſpecies, eaque omnia a ſe mutuo ſejungenda atque in certas claſſes diſtribuenda, quae diverſa inter ſe fore conſpicimus. Repugnat quippe, ut recte expendantur & funditus percipiantur, quae confuſa invicem ſunt, ſimulque permixta. Quaeſtiones item compoſitae cum multiplicem ſcopum habeant; ſi capita ex quibus coaleſcunt non invicem diſtinguantur, & eorum ſolutio ſingillatim non perveſtigetur, confuſio ac mentis perturbatio oriatur, neceſſe eſt; quemadmodum enim, quo oculis plura, ſimul, & varia intueri ſtudet non ea ſatis perſpicue percipit, nec poteſt de ſingulis illis objectis recte ſatis judicare; ita qui plura, eaque diſparia una ſimul congeſta mente complecti nititur, ea probe introſpicere minime poteſt, adeoque accurata tutaque judicia de illis ferre utique nequit.

Quod item in ipſa quaeſtione exploratum nobis eſt atque perſpicuum, quum eo, quod latet, attente conferre, & comparare debemus. Ubi autem ex hac comparatione veritas aliqua eluceſcere incipit, haec veluti ſcintilla fovenda promovendaque ſummo ſtudio ac diligentia eſt, donec ſcilicet ad id quod quaerimus perveniamus: Quemadmodum enim Romanae eloquentiae Parente Tullio teſte (a),

 eſt

(a) Lib. I. *de Natura Deorum* Cap. 4.

eſt admirabilis quaedam continuatio, ſerieſque rerum, ut alia ex alia nexa, & omnes inter ſe aptae colligataeque videantur; ita veritatum tanta connexio eſt, tamque mirabilis conſenſus inter ſe mutuo, ut ex una nitide cognita, quantumvis exigui momenti illa nobis videatur, aliae, atque aliae, & quidem prorſus eximiae mirifico, ac plane ineffabili ſucceſſu jugiter pullulent, ac deriventur.

Rejicienda praeterea eſt locutionum verborumque ambiguitas quaepiam ſub qua fortaſſe quaeſtio nobis propoſita involuta foret, rogandusque eſt ſi fieri poſſit, is, qui quaeſtionem ſolvendam tradidit, ut mentem ſuam luculentius exprimat, nec ab inſtantiis, & interrogationibus ceſſandum, donec nitidiſſime explicaverit quamnam determinatam praeciſamque ſignificationem illis affigat vocibus: Si vero is, a quo quaeſtio diſcutienda propoſita eſt interrogari nequeat, conſultius ac melius eſt indeciſam illam relinquere, ne nimirum ſi inconſulto Auctore eam in determinatum quempiam ſenſum accipiamus ab ejus mente fortaſſe nimium aberremus, & id ſtatamus, quemadmodum ſaepe contingit, quod ipſe petebat, ſolutionemque importunam, & a re alienam afferamus.

Praefatis hiſce cautionibus ſtudioſe adhibitis nullatenus dubito, quin ſponte ſua continuo peculiare illud prodire poſſit, quod in

omni

omni quaeſtione delitefcit; ex quo tamen tota illius pendet ſolutio.

§. VI.

SI vero ſufficienti impenſa juxta praefatos Canones, induſtria lumen aliquod non affulgeat expediendae quaeſtioni appoſitum, tunc ſedulo ſtudio animi faecunditas excitanda eſt, atque a nobiſmetipſis rogandum eſt omnique contentione cogitandum, quid nam ergo aliud ſcire nos oporteat, aut quidnam tandem ſufficeret ad id cognoſcendum, cujus lumine ac ductu ſtatim per neceſſariam conſecutionem quaeſtionem ſolutam fore pernoſceremus: Eo autem cognito unde quaeſtionem facile expedire poſſe arbitramur ſerio expendere neceſſe eſt, an illud re ipſa certo tutoque nobis compertum ſit; ſi certum ſit, compertumque, jam per conſequens conſtabit, & id, ex cujus certa notione, certa perinde quaeſtionis ſolutio conſequitur; ſin vero idem ſentiamus, certo nobis exploratum, ac detectum haudquaquam fore, tunc eadem methodo eo uſque progrediendum eſt, quouſque ad aliquod devenerimus, quod vel ex terminis pateat notioque idcirco ſit per ſe ſe evidens, ac tutiſſima, vel conſtet ex adverſo idemet nobis cognitu impoſſibile fore, ac tunc a qualibet inquiſitione ceſſandum.

§. VII.

§. VII.

MOnitum autem poſtremo volumus, plurimum intereſſe nimirum, quemadmodum egregie excogitavit Carteſius (a) *Cogitationes noſtras certo ordine promovere, incipiendo ſcilicet ab iis rebus, quae cognitu nobis ſunt faciliores, atque ex his paulatim ac veluti per gradus ad difficiliorum magiſque abſtruſarum investigationem progrediendo; in aliquem etiam ordinem eas diſponendo cognitiones, quae ſe ſe mutuo natura ſua non praecedunt.* Enim vero ſicuti natura nihil prorſus per ſaltum molitur, ſed a ſimplicioribus faciIioribuſque ſumpto initio ad difficiliora ſenſim progreditur, ſuaque opera paulatim perficit; ita humana mens ad ſubIimiores veritates attingendas numquam perveniet, niſi in levioribus conſiderandis, primo ſe ſe plurimum exercuerit, atque ad majores capiendas ſe ſe idoneam ſenſim reddiderit.

Conſtituta hactenus pracepta ſatis fuiſſe reor, ut recto itinere in iis evolvendis quaeſtionibus incederemus, quae ab una rationis intrinſecae, ut ajunt vi pendere noſcuntur. Quas autem inquiſitiones ab experimentis totam venari ſolutionem neceſſe eſt ſaepe ſaepius, eaedem determinatis quibuſdam legibus haudquaquam indigere videbantur, quod nimirum harum

(a) *De Methodo* n. 2.

rum pertractatio ſimplex ſit, ac tota, ut ajunt poſitiva; Quae namque ab oculos ſunt poſita (quemadmodum omnia ſunt experimenta) ſi illi bene valentes, & ad diſcernendum attenti ſint, & perſpicaces, non video qua ratione non continuo expoſitae quaeſtioni ea fidem ſint luculenter factura.

Caeterum nihil de Analytica methodo dicendum amplius ſupereſſet, niſi de alienae auctoritatis pondere cum verum inquirere ex hoc fonte ſtudemus juxta ſuperius traditam diviſionem nonnulla opus eſſet adjicere. Quae equidem eo latioribus contigit finibus circumſcribi, quo meliori conſilio huc nonnullas Critices Leges ſtatuerimus revocandas.

§. VIII.

DE alieni igitur teſtimonii ad veritatem detegendam auctoritate & robore locuturi Dei Opt. Max. veraciſſimum omnique humana fide majus eloquium nobis per Scripturas Sanctas, nec non per Apoſtolicam perpetuoque in Eccleſia Catholica ſervatam Sacrorum Dogmatum Traditionem tamquam Depoſitum obtentus conſignatum primo loco exponendum reliquis antecellit. Tanta illius eſt majeſtas tantaque vis, ut a quopiam bene inſtituto ingenio aequiſſimum aſſenſum extorqueat, ac continuo cuilibet de divinis rebus aliquid

inqui-

inquirenti, vel unum ex commemoratis fontibus verbum ſatis ſuperque fore ad quaeſtionis deciſionem nemo unquam niſi plane impius revelatae Religionis oſor auſus eſt inficiari. Ea itaque omnia aſſenſu firmiſſimo ſunt recipienda, quae divinae auctoritati innituntur. Magis quippe repugnat Deum falli vel fallere, quam vera illa non eſſe, quae ratio vel evidentiſſima oſtendit juxta celebre illud Davidicum (a) *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*; hoc eſt ut doctiſſimus exponit Lyranus, *credibilia magis, quam prima principia ſcientiarum naturalium*. Quae ſane non de iis ſolum ſunt uſurpanda, quae ad doctrinam, verum etiam de iis quae ad hiſtoriam pertinent; non minus namque in rebus juris, quam in rebus facti Deum falli, vel fallere prorſus repugnat.

§. IX.

QUamobrem Deo Opt. Max. quidpiam affirmante, quemadmodum ſibi praecipit ab hominibus fidem praeberi, ita vetat ne animi levitate rapti cito credamus. Itaque omnis honeſta erit ratio quibuſdam indubiis ad credendum notis commoveri, quae credibilitatis motiva vulgo nuncupantur. Quare ipſe pro infinita qua pollet in Religione regenda ſapientia veram fidem quibuſdam ornamentis di-

tan.

(a) Pſalm. 92.

tandam curavit compulitque perpetuo viros accuratiſſimos ut ſerius expenderent, poſteriſque notanda conſignarent. Horum numerum luculenter recenſent atque explicant, praeter priſcos ferme omnes Eccleſiae Patres, Nicolaus Sanderus (a) Michael Medina (b) Emin. Robertus Bellarminus (c) aliique plurimi. At vero cuiquam ut primum ejuſmodi divinae fidei characteres fuerint perſpecti penitus & explorati aequiſſimum eſt, ut ne quidem leviſſime de illius veritate dubitemus, quamvis non ſolum mens noſtra nullo prorſus modo ea quae credenda proponuntur valeat ipſa comprehendere, verum etiam etſi humanae rationi eadem penitus adverſari videantur. Cum enim ratio ipſa clare nos doceat, Potentiam Dei infinitam eſſe, humanae vero rationis vim limitibus undique circumſcribi, ea ipſa perinde ratio oſtendit plura poſſe a Deo fieri, quae mente compleċti ipſi nequimus. Profecto ſi illa dumtaxat tanquam vera excipienda a nobis eſſent quae ingenii acie attingere non poſſumus innumera prorſus ex iis etiam, quae in natura contingunt exiſterent, quae rejici tanquam falſa a nobis debere conſequerentur, quod propter ſui obſcuritatem iis percipiendis phaenomenis plane impares ſimus.

§. X.

(a) *De viſibil. Monarch.* Lib. 8. Cap. 6.
(b) *De recta fide* Lib. 2.
(c) *Controverſ.* Tom. I. *de Notis Eccleſiae*

§. X.

MAgnopere ergo curandum eſt, ut tanquam divina, quum ſcriptam Revelationem, tum maxime id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt (a) Quod enim ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, illud ſane eſt hujuſmodi, ut ab ipſomet Chriſto oretenus traditum Apoſtolis fuerit, atque per illos in nos conſtanti traditione derivatum. *Unde* (b) *quod univerſa* inquit *tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.*

§. XI.

QUamqam vero duo a nobis divini Teſtimonii commemorati fuerint paulo ante fontes praecipui; Scripturam nimirum, & Traditionem, quibus dumtaxat confiſi tutiſſime de re quapiam Theologica decernere poſſimus; nihilominus firmo conſtantique animo admittenda ſunt, quae nobis ab Eccleſia tanquam a *Principio Proponente*, ut vulgo dicitur, divina fide credenda objiciuntur. Fieri enim non poteſt, ut eadem Mater Eccleſia Columna, &

(a) *Vincentius Lirinenſis Commonitor* Cap. 3.
(b) *S. Auguſtinus* Lib. IV. *de Bapt. Contra Donat.* num. 31. *alias* Cap. 24.

& firmamentum veritatis in iis definiendis proponendiſque, quae ad fidem pertinent decipiatur, noſque in errorem inducat; quum ipſe Chriſtus aperte fuerit teſtatus; numquam fore, ut fides Petri deficiat (a) neque ut Portae inferi contra Eccleſiam praevaleant (b).

§. XII.

COnſtanti praeterea aſſenſu illud eſt tanquam extra omnem dubitationem poſitum amplectendum, quod in re Dogmatica, & ad Religionem ſtabiliendam ſervandamque maxime ſpectans univerſi SS. Eccleſiae Patres Scriptis prodiderunt, & unanimi docuerunt ſententia. Cum enim SS. Patres fuerint a Deo miſſi, ut Eccleſiam erudirent, fieri profecto nequaquam potuit, ut in iis, quae ad Religionem pertinent omnes erraverint; quemadmodum ſcite more ſuo S. Auguſtinus (c) oſtendit.

§. XIII.

TEmpeſtive autem monendum eſſe exiſtimo in diſciplinis naturalibus, humaniſque Artibus SS. Doctorum auctoritatem majoris haudquaquam eſſe ponderis, quam ſit illorum Philoſo-

(a) *Lucae* Cap. 22. v. 32.
(b) *Matthei* Cap. 16. v. 18.
(c) Lib. II. *ad verſ. Iulian.* num. 31. *alias* Cap. 9.

loſophorum auctoritas, quibus ipſimet Patres in ſcribendo tanquam ducibus uſi ſunt, ac Praeceptoribus: Etenim ut cum Viro Clariſs. Ludovico Antonio Muratorio (a) animadvertam: *SS. Patres in hiſce artibus humanis ac ſcientiis non Chriſtum, ſed Platonem, ſed Ariſtotelem; ſed Avicenam; homines videlicet impios aut caecos habuere, Magiſtros, aut ſuum intellectum fallacem, aut alios homines erroribus obnoxios ſequuti ſunt*. Quare ipſe argute admodum ita concludit. *Quid ergo hic certi a SS. Patribus polliceri tibi poſſis? Tantum ſane eorum dicta valebunt apud cordatos viros, quantum rationibus, & robuſtiſſimis, neque fallacibus argumentis nitentur*. Hactenus de divinae veritatis a Deo revelatae ſuprema ad faciendam fidem vi, & efficacia ſatis pro noſtra brevitate dictum fuiſſe autumo.

§. XIV.

SUpereſt deinde, ut explanemus qualis quantaque eſſe debeat penes unumquemque veri cupidum humanae fidei auctoritas. Quod quo magis intelligi poſſit illud principio ſtatuendum eſt: neceſſarium eſſe homines hominibus credere niſi vita pecudum more degenda ſit: Atque equidem experimento ipſo compertum ſit non amicitiam modo, verum etiam omnem

(a Lib. I. *de Moderamine Ingeniorum* Cap. 21.

omnem omnino humanam ſocialemque vitam interire, niſi amicus amico, maritus uxori, parentibus filii, fratres fratribus, Civibus Cives, ſociis ſocii fidem accomodent ſuam. Quid? Ipſamet duo generis humani ſanctiſſima vincula, neceſſitudinem nimirum, atque pietatem violari illico ac diſſolvi, nihilque prorſus in hominum conſociatione incolume ſupereſſe conſpicitur, ſi nihil credere ſtatuerimus quod non idem poſſimus quaſi manu tangere, ac teneri perceptum. Qua ex re fit ut naturae Auctor in hominum mentibus inclinationem ad credendum naturalem impreſſerit: Siquidem non minus fides neceſſaria eſt hominis, & vitae, & diſciplinae, quam aut ſupremus coelo locus, aut terrae imus ut bene habeant neceſſarius eſt. Quamobrem, qui humanam fidem ex hominum animis evellere conantur, ii non ſolum ſtulti ſunt, ſed gigantum more cum Diis, ſcilicet cum natura bellum gerere ſe velle videntur. Ne ergo ab optimo ſapientiorum hominum ſenſu temere recedamus, nihil religioſius hac in re ſectandum nobis eſſe debet, quam quae hic ex praeclariſſimis Scriptoribus praecepta exſcribenda curavimus.

Digitized by Google

§. XV.

SUpremi ſubſellii Doctoribus ſummiſque Philoſophis multum ſemper deferendum a nobis eſt ; ita tamen , ut ſi nimirum evidens ratio vel manifeſta experientia ab eorum doctrina recedere nos cogat , id non ſiat , niſi ſalva , quae illis jure debetur obſervantia . Huic aſſerto , illud maxime ſuppetias ferre demonſtratur ; quod videlicet , tametſi cum reliquo hominum vulgo decipi potuerint ; quinimo reipſa in pluribus erraſſe deprehendantur , aequum eſt tamen , ut nos potius , quam praeſtantia illa ingenia erraſſe arbitremur . Recte propterea Quintilianus (a) ſic olim ſcripſerat ; *Neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit omnia quae magni Auctores dixerint utique eſſe perfecta. Nam & labuntur aliquando , & oneri cedunt , & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati ; nec ſemper intendunt animum & nonnunquam fatigantur ; cum Ciceroni dormitare interim Demoſthenes , Horatio vero etiam Homerus ipſe videatur &c.* Attamen inter legendum ſaepe eximios illos fuiſſe nobiſmetipſis commemorare debemus .

(a) Lib. X. *Inſtit. Orator.* Cap. 1.

§. XVI.

PAucis potius doctis, ac eruditionis fama celebratis Scriptoribus credendum eſt, quam multitudini imperitorum. Quum enim praejudicia in indoctis plerumque dominentur atque inconſulta judicandi ratio ſaepiſſime eos occupet, merito proinde affirmandum eſt, Lactantio (a) Auctore, *plus eſſe momenti in paucioribus doctis, quam in pluribus imperitis:*

§. XVII.

OPinio fundata in communi atque conſtanti omnium populorum conſenſu, quin de illius veritate aliquis unquam dubitaverit, nec modo ſit qui dubitet, pro certa recipienda eſt. Ut enim habet Tullius (b) *id de quo omnium natura conſentit verum eſſe neceſſe eſt*. Illud quippe evidens haberi fas eſt, quod in rationis naturalis lumine ſitum eſt; ut proinde tanquam naturae Lex ſpectari idem illud optime poſſit; ipſomet Tullio (c) teſte; dum ait: *omni in re conſenſio omnium gentium Lex naturae putanda eſt*.

 §. XVIII.

(a) Lib. II. *Divinar. Inſtitut.* Cap. 20.
(b) Lib. I. *De Nat. Deor.* Cap. 17.
(c) Lib. I. *QQ. Tuſcul.* Cap. 13.

§. XVIII.

Cuiquam in arte perito credendum eſt: Etenim ſi illum ſuam artem callere conſtat perfectam rei, de qua differit, cognitionem habet. Quamobrem, ſi nulla jure habeatur de illius ſinceritate dubitatio, ejuſdem aſſertioni in iis, quae ad ipſam pertinent artem, abſque ulla prorſus formidine ſuffragari debemus.

§. XIX.

In omnibus ad hiſtoriam ſpectantibus teſtis ſemel mendax continuo a fidei ſuae gradu & dignitate deiicitur. Ut enim praeclare monet Tullius (a) *Ubi ſemel quis pejeraverit, ei credi poſtea etiamſi per plures Deos juret, non oportet*. Et recte quidem; illico enim ſufficiens quum ſe ſe offerat internae malitiae praeſumptio, ſuſpicari abſque injuria fas erit, ipſum in aliis quoque fuiſſe mentitum.

§. XX.

Unus teſtis coaevus praeferendus eſt teſtibus non coaevis. Nemini profecto dubium eſſe poteſt, quin teſtis oculatus dignus jure ſit, qui pluribus teſtibus non oculatis praeha-

(a) *Pro C. Rabirio Poſthumo*

praehabeatur: Nemo quoque ibit inficias, ſynchronum, ſeu coaevum teſtem potuiſſe rem geſtam propriis oculis intueri; haudquaquam vero teſtem non coaevum. Igitur unus teſtis coaevus pluribus non coaevis videtur jure praeferendus. Recte propterea Clariſs. Petrus Daniel Huetius (a) ita teſtatum relinquere non dubitavit, *Teſtium eo major eſt fides, quo a re geſta propius abfuerunt, adeo ut aequalium certior ſit, quam recentiorum; praeſentium, quam abſentium; certiſſima vero ſit eorum, qui rem oculis ſuis inſpexerunt*. Quamobrem, quae de antiquis rerum geſtorum hiſtoriis afferri in medium ſolent apud cordatos viros nulla debent fide gaudere, niſi per id genus teſtes fulciantur; nam ſecus, aut tanquam fabuloſa, aut quammaxime dubia ſunt reiicienda. Hanc regulam merito atque optimo ſane jure communi calculo admittunt Critici; neque enim alia nobis certior ſe offert via diſcernendi a fabuloſis vera; quemadmodum ſaepenumero in hiſtoriis illa miſceri non ignoramus. Hinc doctiſſimus praelaudatus Huetius (b) *Quoniam, aequales inquit, & praeſentes, & oculatos teſtes rebus geſtis diu ſupereſſe non patitur brevitas vitae; inde fit, ut res a noſtra, vel Patrum aut Avorum memoria remotas nonniſi ex aliorum relatione noſcere, vel credere poſſimus rerum oblivionem reparante*

(a) *Demonſtrat. Evang. Axioma II.*
(b) *Ibidem.*

rante hominum ſtudio, dum longinquitatem temporum memoria excipiente monumentiſque poſteritati traditis repraeſentant.

§. XXI.

VEtera ſaeculorum geſta nonniſi ex traditione nobis cognita pro vera habenda haudquaquam ſunt, niſi vel in ſemetipſis, vel in ſuis circumſtantiis ſolemnia adeo fuerint, ut ex coaevis tantum modo teſtibus traditio ipſa oriri, atque in nos derivari potuerit. Incredibile namque eſſet plane, majores noſtros, ex quorum eruditione geſtorum hauſimus notitiam, tantae fuiſſe ſtupiditatis, ac ſocordiae, ut ſolemnis aliquis eventus fingi ab impoſtore quopiam, ac in vulgus ſpargi potuerit, quin eorum, ne unus quidem, factum ipſum inquireret, cognitaque veritate mandaret poſterorum memoriae, falſum illud fuiſſe, & plane commentitium. Apage ne ſuſpicari quidem integram veterum Scriptorum communitatem ad tam ſolemne figmentum poſteris demandandum, una cum impoſtore animo prorſus concordi conſpirare voluiſſe.

§. XXII.

§. XXII.

Cujuſpiam facti narratio, ſi a pluribus oculatis teſtibus diverſae nationis, & ſectae proficiſcatur, tam certa haberi debet, quam ſi illud quod enarratur propriis oculis vidiſſemus. Etenim a fide abſonum plane eſt illud dici poſſe commentitium, quod teſtes plurimi oculati, non ſolum natione diverſi, verum etiam Religione diſcordes Hiſtorici communi, conſtantique ſuffragio contigiſſe teſtantur. Quum enim in hiſce nulla ſit affectuum vis, nullumque partium ſtudium, quinimo plurimum mutui perſaepe odii, livoris, atque invidiae; mente comprehendi nulla prorſus ratione poteſt, quomodo ad mendacium ſtabiliendum ſimul omnes conſpirare potuerint. Ratum itaque, ac definitum ſit illud ad rem noſtram ex Flavio Joſepho praeclarum effatum, (a) *veracis, nimirum, hiſtoriae indicium eſſe, ſi de rebus iiſdem omnes eadem dicant, & ſcribant*.

§. XXIII.

Quum alicujus gentis, vel hominis, aut ſectae placita, opiniones, rationes, reſque geſtas ad aliquam ſolvendam quaeſtionem ex quopiam inquirimus ſcriptore, cavere ſedulo debemus,

(a) Lib. I. *contra Apionem*.

bemus, ne perperam illi fidem accomodemus, de quo proditum ſit, genti illi, ſectae aut homini infenſum eſſe. Etenim qui partibus ſtudet, qui odii contemptusve affectibus praeoccupatur, iniquus judex habendus eſt; ac tametſi ſpecie tenus Hiſtorici munere fungi videatur; quibus nihilominus adverſatur, ſeu hominibus, ſeu ſectis, aut minus honorifica & probroſa, aut a ratione prorſus aliena ſolet tribuere, omnia deinde in contrariam partem extorquet, alia occultat, ac nonnulla demum nimis exaggerat.

§. XXIV.

SI ſcriptor de opinionibus, inſtitutis, moribus, rebuſque geſtis externarum gentium loquatur, quas nonniſi ab illis potuit exſpiſcari; niſi iſte accuratiſſimus fuerit, niſi manifeſta, tutaque nobis impenſae diligentiae monumenta modo praebeat, niſi etiam minimis in rebus, quas narrat, funditus pernoſcendis, ſingularem collocaverit operam, omni prorſus malae fidei non caret ſuſpicione. Quandoquidem exterarum gentium cuipiam incognito idiomate utentium opiniones, mores, conſuetudines, inſtituta, dicta, factaque certo diſcere nemo poteſt, niſi extranearum illarum gentium linguam optime calleat, & niſi plures peritiores, canditioreſque ex illis gentibus adloqua-

loquatur, conſulat atque interrogationibus dubiiſve tandiu urgeat, quandiu opus ſit ad res illas ex eorum ore perſpicue penituſque addiſcendas: Quae ſane curae multum, laboris, ingenii, moleſtaeque ſedulitatis expoſtulant; quas curas, quos labores eos dubio procul impendiſſe putandum eſt, qui id maniféſtiſſimis, & indubiis oſtendunt indiciis: Sin autem ejuſmodi haudquaquam liquido conſtent, cohibendum noſtrum judicium eſt nec temere ulla iiſdem fides eſt committenda.

§. XXV.

SI quempiam ſcriptorem animi pathemata, non genuinam rerum veritatem ducem in perſequenda hiſtoria habuiſſe compertum a nobis fuerit, ipſum mendacii, & diſſimulationis reum eſſe, ſuſpicari jure poſſumus: A nuda namque veri narratione, ac profeſſione poenarum formido, ac cujuſcumque incommodi imminens fortaſſe in caput noſtrum ruina deterrere ſolet: Hinc hiſtoricus ex. gr. qui ſub tyrannide vivit, plura diſſimulat, ne Tyrannum provocet, atque ita loquitur & ſcribit, ut nil inde ſit ſibi metuendum. A veritate non minus aberrare conſueverunt ſcriptores illi, qui plus praemiis, commodiſque ſibi conciliandis, quam eidem ſtudent veritati: Qui enim honores, divitias, aliaque id genus commoda arden-

ardentiſſime expetit, non injuria dubitandum eſt, ipſum aliquibus aſſentari velle potentioribus viris, a quibus illa ſibi conferri ſperat.

§. XXVI.

QUod plures affirmare novimus, atque illud ipſum ab uno aliquo tantummodo Auctore accepiſſe non ignoramus in illius verba jurantes, ita exiſtimandum eſt, ut non tanquam a pluribus Auctoribus profectum, ſed velut ab uno in reliquos derivatum agnoſcamus. Hujus praeceptionis ratio ex eo vel maxime eruitur, quod vel infiniti homines per ſeſe graviſſimi, & fide digniſſimi, quum de rebus loquantur, quae non, ut par erat, per ſe ſe agnoverunt, ſed ab aliquo acceperunt, ne hilum quidem addant ponderis, & auctoritatis rei ab uno tantum aſſertae, vel negatae.

§. XXVII.

NE vero in eo quod potiſſimum eſt decipiamur; in recta nimirum auctorum interpretatione, ſive in eorum aſſequenda mente, conſultum erit nonnulla hic opportune ſubjicere monita, quorum lumine tutius hac ſuper re progrediamus.

Principio itaque dicendum ſe ſe offert: ſi ſempe ille cujus uti volumus teſtimonio, cujuſque

juſque mentem aſſequi noſtra intereſt, lingua autem nobis communi non utatur, & rogari, conſulique non poſſit, ſed ex ejus tantum ſcri. ptis Auctoris mens nobis ſit eruenda; cavendum diligentiſſimè eſt, ne citra accuratum examen, voces & loquutiones, quas adhibet eo ſenſu accipiamus unis lexicorum definitionibus confiſi. Aſſertum ejuſmodi, non una ſolum ratione demonſtratur, verum multiplici argumentorum vi ſuaderi fuſiùs a nobis poſſet, niſi breviores eſſe conſtituiſſemus. Quum igitur explorata res ſit hominum ideas invicem non ſatis convenire, neque eas ſimiles eſſe undequaque; quamvis eadem vocabula adhibeantur ad eas ſignificandas, aut vocibus, & loquutionibus illi utantur, quae pro aequipollentibus, & omnino omologis vulgo a Lexicographis tradantur; quocirca ſatis conſtare poſſe reor, non eſſe temere, citraque praevium accuratum examen caeterorum ideas, veterum praeſertim ſcriptorum, ex ideis noſtris metiendas extimandaſque eſſe; quaſi per voces quas adhibent non potuerint non intelligere, niſi id prorſus omnino, quod nos per eaſdem illas voces intelligeremus; quo ſane nihil abſurdius excogitari valet. Repetantur illa ſeriaque cogitatione expendantur quae ſuperiùs de nominum definiendorum utilitate Sectione VI. ſunt dicta.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

AD veram genuinamque ſcriptorum, antiquorum praecipue, intellectionem aſſequendam perutiles ſequentes ſervare oportet praeceptiones: Primo inſtituta, & conſuetudines cum publicas, tum privatas; deinde dogmata, & opiniones, ut ad mores atque Religionem, ita ad res naturales ejus gentis, cujus ſcriptor eſt, & temporis in quo vixit ſpectantes, agnoſcamus neceſſe eſt: ſecundo ſectae placita, & loquutiones, ſi cui ſcriptor interpretandus favebat, aut ſi cui addictus erat accurate praenoſcendae. Huic ſane Analiſeos ſanctioni evidens ſuffragatur variaque demonſtratio: Etenim plurimae Auctorum loquutiones & vocabula abſolutum, non praeſeferunt ſenſum, ſed relativa ſunt ad inſtituta, conſuetudines, & opiniones ſuarum gentium, & temporum; ad quas equidem conſuetudines, & opiniones quum modo luculentius, aliquando vero obſcurius ſcriptores alludant, intelligi alluſiones loquutionibus accomodatae profecto nequeunt, niſi illud ad quod alluditur cognitum antea ſit, & liquido conſtitutum: Hiſce accedit quoque, homines videlicet variis addictos Religionibus, aut ſectis, diverſaque foventes placita earumdem vocum, loquutionumque praeſidio ideas invicem longe diſpares, ſententiaſve plane diſcre-

ſcrepantes haud raro exprimere, quemadmodum paulo ante dicebamus. Illud demum magnam vim aſſerto noſtro afferre autumo; quia ſaepe ſaepius (niſi aliunde peſpectas ſcriptorum habeamus opiniones de iis rebus, quae ſenſuum non adjacent experimento, quaeque ſententiarum diſcrimini ſunt obnoxiae) definire tuto nequimus, an hic illeve Auctor loquutiones quaſdam, quibus illae declarantur, in metaphorico, & figurato ſenſu potius, quam litterali uſurpaverit.

§. XXIX.

NOn minus ad rectam quorumcumque hiſtoricorum intelligentiam neceſſe fore exiſtimo temporum, locorumque notitiam habere compertam. Ac re equidem vera moniti hujuſce neceſſitas tam perſpicue patere reor, ut pluribus haudquaquam opus ſit explanare. Quis enim non perſpiciat, eos qui Chronologiae, nec non Geographiae ſcientiam ignorant ab Auctorum quos legunt mente haud raro poſſe aberrare, aut non ſatis eorum ſenſum attingere, quod nimirum frequentes occurrant inter illos legendos loquutiones, immo integrae periodi, aut narrationes integrae, quas niſi locorum ſitum, & eventuum tempora noverimus, aut non ſatis illos percipiemus ſcriptores, aut ab eorum mente prorſus deflectemus.

§. XXX.

SUprema denique circa exactam ſcriptorum intelligentiam tradenda ſupereſt praeceptio, in qua reliquae omnes hactenus promulgatae hac ſuper re leges ſui virtute continentur. Haec itaque ſic explanari poteſt: Niſi facile a ſcriptorum mente longe diſtare velimus, integer Operis contextus conſulendus eſt, ac ſaepe a nobis revolvendus. Primo namque loquutionum plurimarum ſenſum ad mentem Auctorum ope ac lumine contextus aſſequimur; qui dubio procul abſque illo nos effugeret: Secundo peculiares Auctores haud raro uſitatas voces in peculiari inuſitatoque ſenſu recipere aliquando ſolent, quemadmodum paulo ante §. XXVII. obiter monueramus; quae certe diſcrepantia non niſi ex antecedentium, & conſequentium lectione inſpici eruique valet.

Tertio, ex contextu deprehenditur, an Scriptor de iiſdem rebus idem ſentiat, firmuſne ſit an vacillet in opinionibus, an ſerio loquatur quibuſdam in locis, aut potius ironice; an aſſentetur alicui nec ne; an ex animo loquatur, aut anceps haereat, aliaque hujuſmodi; quae quidem notiones ad germanum ſcriptorum ſenſum intelligendum, genuinaſque ideas aſſequendas neceſſariae ſunt: Quarto, ex contextu haud raro apparet, cujus generis ſcri-

ptor

ptor fuerit, cujus temporis, cujus ſectae; aliaeque item circumſtantiae ad Auctorem pertinentes addiſcuntur. Hiſce autem perceptis, ſi aliunde nobis notae ſint conſuetudines, & opiniones ejus gentis, & temporis, cujus ſcriptorem fuiſſe lumine contextus reteximus; ſique praenoverimus, quaenam fuerint ſententiae, quique ſermo ejus ſectae, cui Auctorem addictum fuiſſe ejuſdem contextus indicio collegimus; tunc ſane nobis licebit vocabulorum loquutionumque illarum ſenſum ad ſcriptoris mentem conſtituere, quibus ad conſuetudines, & opiniones ſuae gentis adludit, eaſque cognitas ſupponit; quin ullum nos erroris vitium adoriatur.

§. XXXI.

NEmo veſtrum ex iis, quae pro ſcite adhibendis aliorum teſtimoniis hactenus a nobis ſunt tradita, ita ſibi audeat perſuadere; ſe nimirum omnia ſanioris Critices praecepta comparaſſe; ut alia praeterea ſcitu perinde neceſſaria non arbitretur. Eos inquam Canones, quorum ope cui Scriptori fides jure meritoque habenda ſit, cui autem deneganda certo decernimus. Vetuſtiſſima enim, nec rara fraus, & quorumdam jamdiu ſcelus obtinuit (quemadmodum eruditi quique probe norunt) celebrium potiſſimum Scriptorum Operibus integras

tegras periodos audaci inſerere manu, plura eorum loca conſulto immutare, integroſque etiam libros iiſdem ſupponere: Quare factum eſt, ut ſpuria, & interpolata ſcripta plurima pro genuinis, & intactis Auctoris alicujus monumentis, dominante praeſertim ſeculorum barbarie irrepſerint. Ne itaque veterum Scriptorum fidei innixi, ea ab illis tradita ut vera recipiamus, quae ipſi forte ne ſomniarunt quidem; quinimo quae eorum menti plane contraria fuere, curandum ſummo ſtudio, ac diligentia eſt, ut genuina ipſorum Opera ab apocryphis diſcernantur. En igitur regulae, quae uſui eſſe poſſunt, ut in re adeo magni momenti mens noſtra recte ſe gerat.

§. XXXII.

Opus antiquo Auctori adſcriptum, vel ſuppoſititium eſt, vel ſaltem apprime dubium, ſi toti antiquitati ignotum plane fuerit. Nimirum ſi nullam prorſus illius mentionem fecerint, qui catalogum Operum illius Auctoris nobis reliquerunt; & quidem potiſſimum, ſi opus illud fuerit hujuſmodi, ut non ſolum memorari ab illis potuerit, verum etiam debuerit; propterea quod nempe plura opus ipſum contineat, quae magis quam ea, quae in allegatis aliis ejuſdem Operibus continentur, eorum doctrinae faveant, vel adverſentur: Neque

que enim veriſimile videtur, opus illud, ſi vere ejus eſſet, cujus nomen praefert, ſcriptores omnes latuiſſe, qui contemporanei ipſi Auctori fuere, omnemque in eo curam, ac diligentiam collocarunt, ut Operum ab illo conſcriptorum indicem texerent, & poſterorum memoriae conſignarent; & quidem praecipue, ſi opus illud doctrinam complectatur vel adeo bonam, ut commendari, vel adeo malam, ut ab illis oppugnari convelliique debuerit.

§. XXXIII.

SI ſtylus totiuſque orationis contextus in Opere alicui Auctori adſcripto ſit ab eo plane diverſus, quo ſcriptor ille uti conſuevit, probabile plurimum eſt, Opus eſſe ſuppoſititium: Videtur certe fieri nequaquam poſſe, ut quis adeo ſtylum mutet, ut in verborum nitore, & elegantia, eloquutionis forma, totiuſque ſermonis artificio a ſe ipſo plane diſcrepet. Ita ex. gr. inepta illa hiſtoria de excidio Trojano, cui praefixa legitur ad C. Salluſtium Criſpum Epiſtola perperam, & falſo Cornelio Nepoti tribuitur; adeo enim infecta barbaraque latinitate maculata ſe prodit, ut Scriptore Romano Ciceroni contemporaneo, atque aureo eloquio pollenti (quemadmodum apud omnes Cornelius Nepos ſemper audiit) indigna plane cenſeri debeat.

Q §. XXXIV.

§. XXXIV.

NOn minus alterum illud de genuino quo-piam Opere ſuſpicioni occaſionem praebet; ſi nimirum in illo, vel vocabula inveniantur nonnulla, quae longe, poſtquam Auctor ſcripſerit, uſu eſſe caeperunt; vel ſi in eodem res, aut homines commemorentur qui Scriptore illo, cui Opus vulgo tribuitur, fuerint poſteriores. Rationi enim parum conſonum videtur ea Auctorem in ſuo cudendo Opere adhibuiſſe vocabula, quorum inventio poſterioris aevi Scriptoribus accepta refertur; quod primum ſpectat rectae ſuſpicionis indicium. Abſonum praeterea cuilibet optimo ſenſu donato, a veritate videri debet; aliquem videlicet ea potuiſſe referre, quae ſequioribus ſaeculis contigerunt; eaſque commemorare perſonas, quae aetate poſteriores floruere. Ita, ut praeteream multa, quae ex Eccleſiaſtica, & Prophana hiſtoria erui poſſent exempla, accuratiores Critici in vulgatiſſimis D. Dionyſii Areopagitae Operibus haece falſitatis notas deprehendunt; quod ſcilicet inter alia cujuſdam D. Ignatii Epiſtolae in ipſis mentio fiat: At Dionyſius Apoſtolicis floruit temporibus; Ignatius vero ſub Trajano Imperatore Chriſti Martyr occubuit, ut optime expendit ſagaciſſimus *Photius* in ſua Bibliotheca *Codice primo*. Ex

quibus

quibus aliiſque permultis indiciis, quae hodierna praeſertim tempeſtate in medium ab eruditiſſimis viris afferuntur facili negotio genuina ſcripta ab Apocryphis diſcernuntur.

§. XXXV.

Aut ſuppoſititius, aut per ſummam audaciam interpolatus eſt liber ille, in quo aſſeruntur, vel propugnantur ſententiae in re magni momenti iis plane contrariae, quas enixe tuetur ille, cujus nomine liber inſcribitur; quin Auctor ipſe ullo in loco aut lectorem monuerit, ſe ea ſuper re opinionem ſententiamque mutaſſe, aut quaecumque antea tuebatur diſerte retractaverit; quemadmodum de D. Auguſtino in ſuarum Retractationum ſcriptis proditum eſt. Enim vero ut recte advertit Caveus (a) ab omni penitius veriſimilitudinis ſpecie abhorret, Scriptorem prudentem, gravem, & eruditum, ita ſibi non conſtare, ut ſibimetipſi velit adverſari, oppoſitaſque in re magni momenti ſententias tradere, quin aliquo in loco, ne leviter quidem tantae mutationis, tantique diſcriminis mentionem fecerit, docueritque cur hac in parte non ſibi plane conſenſerit.

(a) *Proleg. de ſcript. Eccleſiaſt.* Sect. IV. n. 5. Edition. Colonienſis.

§. XXXVI.

NOn tam vero optimis Critices legibus eruditi eſſe debemus, ut quantum uniuſcujuſque auctoritati fidere debeamus in expediendis quaeſtionibus decernamus; verum nonnulla etiam explorata & indubia nobis eſſe debent, quibus in credendis miraculis rite utamur: De iis loquor portentis, aut quae paſſim in dies velut a Dei virtute patrata vulgo circumferuntur, quin ab ullo Auctore ſcriptis tradantur; aut quae in comuni ac conſtanti omnium populorum opinione & conſenſu fundata a tota antiquitate credenda proponuntur. Neque vero mirum eſſe debet, me in hiſce recipiendis, quae ab humano pendent teſtimonio ſeu narratione, quoſdam voluiſſe fines ſtatuere; quod nimirum in hiſce etiam, quae ad pietatem ſpectare videntur decipi nos, ac in extremum nimiae crudelitatis diſcrimen labi perinde poſſimus; tum quo facilius aliud perniciosae incredulitatis extremum in nonnullis emendaremus. Etenim quoſdam exiſtere non ignoro, quibus religio eſt de quovis ſibi narrato portento ſubdubitare, ea perſuaſos ratione; quod ſcilicet de omnibus ſit ambigendum, ſi de uno aliquo dubitaverint: Cum vero norint omnia Deo fuiſſe poſſibilia, eo magis piacularem & impium putant rei a Deo geſtae

non

non credere ſi ab ejus Omnipotentia dicatur eſſe profectum. At alios ex adverſo eſſe novimus, qui obfirmato animo eadem ſe velle prodigia aut in dubium revocare, aut etiam impugnare idcirco teſtantur, quod aliquando contigerit nonnulla ſibi cum ſtupore fuiſſe narrata, quae falſa & conſulto ad imponendum conficta ab ipſis fuerint deinde comperta. Utrique profecto diverſo ſeducuntur errore; quorum tamen convellendae ſunt opiniones, atque appoſitis rei huic breviſſimis praeceptionibus in hiſce ſcite credendis mentem dirigere, & erudire decrevimus.

§. XXXVII.

SOla itaque Miraculi cujuſpiam poſſibilitas ſatis non eſt, ut illud revera contigiſſe jure credatur. Error ſane multorum eſt, velle ut quae ipſi portenta a Deo vel Sanctis patrata referunt, indiſcriminatim contigiſſe credantur, hoc ipſo duntaxat, quod nulla nobis in iis repugnantia *objectiva*, ut ajunt, occurrat, ſed plena poſſibilitas. Injuſte tamen fidem poſtulant. Quandoquidem, ſi ſola facti poſſibilitas ad aſſenſum a nobis jure extorquendum ſpectanda eſſet, equidem non ſolum ad innumera prodigia, quae nunquam acciderunt, credenda cogeremur, verum etiam merito a nobis poſtulare aliquis poſſet, ut miraculis prorſus con-

 trariis

trariis fides noſtra ſimul praeberetur. Innumera namque ſunt, quae fingi poſſunt, quin ne leviſſima quidem in illis appareat repugnantia. Neminem quoque latet, fieri poſſe, ut non minus factum illud, quod miraculoſe contigiſſe fertur, ſit poſſibile, quam illius contrarium.

§. XXXVIII.

Antequam de prodigioſis quibuslibet geſtis judicium feratur, omnes illorum circumſtantiae tam internae, quam externae expendendae probe ſunt, attentoque animo conſiderandae. *Internas* Miraculorum enarratorum circumſtantias voco, quae miracula ipſa antecedunt, comitantur, & conſequuntur. *Externas* vero, quae Teſtem, ſive Auctorem reſpiciunt, a quo portenta mirifica referuntur, nobiſque credenda proponuntur.

Ad *internas* itaque circumſtantias, quod attinet, primo attente conſiderandum eſt, an earum aliqua, moraliter ſaltem, ratione loci, perſonae, vel temporis ſit impoſſibilis: Secundo num una ita cum altera pugnet, ut ambae ſimul in ipſis portentis componi nequaquam poſſint. Si namque aliqua ſit impoſſibilis, vel illarum una adverſetur alteri, jam miracula quaepiam, vel nullam, vel nonniſi dubiam merentur fidem. Si autem in ipſis cir-

cumſtantiis nulla falſitas, nullaque oppoſitio occurrat, Prodigia cenſenda quidem ſunt poſſibilia, at minime credenda, illa revera contigiſſe; niſi ea quoque adſit Auctoris, ſive Teſtis conditio, ut plane dignus ille ſit, cui fides plena accomodetur. Poſita ergo Miraculorum poſſibilitate ſerio expendenda ſunt quae modo ſubjicimus.

§. XXXIX.

QUemadmodum in iis, quae ad Doctrinam rerumque ſcientiam pertinent, magis Viro docto, quam probo credendum eſt, ita quum de portenti cujuſpiam veritate agitur, magis viro probo dolique inimico, quam erudito ſtandum eſt. Equidem non inficior, bonae honeſtaeque vitae rationem in iis quoque habendam eſſe, qui dogmata tradunt; quum videlicet perſaepe contingat, ut mentis judicium prava voluntate corrumpatur; opinor tamen plurimum ſcientiae eruditioniſque requiri, ut vera ac tuta doctrina a prava falſaque recte diſcernatur; longeque eſſe facilius, ut in ferendo de doctrina judicio is decipiatur, qui totus in morum diſciplina eſt, quam qui in liberalibus ingenuiſque artibus eſt apprime verſatus. At contra ſe res habet, quum agitur de fide praebenda portentis, quae hominum duntaxat teſtimonio innituntur, vel a vulgo

imperito circumferri ſolent. Tametſi enim pietas Religioque non poſtulent, ut quis ſanae mentis omnia miracula credat, quae vel a Metaphraſte, vel ab alio quopiam ſomniorum conſarcinatore promuntur; contendo tamen omnem hominem, cui mens ſana ſuppetat, pietatis licet expers ſit, ad ea credenda compelli & pro veris miraculis agnoſcenda, quae D. Auguſtinus, vel in ſuis *Confeſſionum*, vel in aliis de *Civitate Dei* libris, ſeu quae reliqui Patres ſumma fide ſcriptis prodiderunt. In Auguſtino enim, caeteriſque Patribus non magna eruditio ſolum, verum etiam eximia animi integritas & vitae innocentia emicuerunt; adeo ut ne ſuſpicari quidem liceat hoſce praeclariſſimos Viros Miraculorum teſtes oculatos conſulto voluiſſe mentiri. Si autem ſermo ſit de iis portentis, quae perpetuo in Eccleſia ab omnibus recepta fuere & credita, quibus nulla *interna* circumſtantia adverſetur, quibuſque nunquam interrupta traditio ſuffragetur, magnam & ipſa menti noſtrae vim facere debent, ut iis victas dare manus haudquaquam abhorreamus.

Totam itaque ex hucuſque ſtatutis de Analytica Methodo me complexum fuiſſe Tractationem confido; tametſi uberiori calamo haec ſane digna cenſeri poſſet, quo utiliſſima haec (ne ſupremam appellem) Dialectices pars pro dignitate poſſet expleri. Ita vero brevitati ſtu-

ſtuduiſſe arbitror, ut nihil tamen, quod ad veri inquirendi ſtudium requiritur deeſſe, perinde curaverim.

SECTIO II.

De Methodo Logico = Synthetica, ſive Doctrinae.

VEritas analytica Methodo inveſtigata, & inventa, Synthetica deinde methodo aliis demonſtratur. Eſt igitur Syntheſis tradendae doctrinae ars commodiſſima quaedam, cujus induſtria compoſitis affabre diſpoſitiſque cogitationibus noſtris, quod ſemel verum comparavimus liquido, & palam exponitur. Synthetica autem ſatis apte methodus dicta eſt a Graeco vocabulo *Syntheſis*, quod latine *compoſitionem* refert, quia in quavis tradenda doctrina, quaſi componendo incedendum eſt, atque a ſimplicioribus, univerſalibus, ſcituque facilioribus ad minus ſimplicia, compoſita, particularia, ſcituque difficiliora deſcendendum eſt pedetentim. Atque ut ex voto cedat demonſtratio nec non, ut ii qui idioma in quo loquimur perſpectum habent, aſſenſum denegare minime poſſint ineluctabili evidentia coacti,

coacti, nonnullae captu facillimae ſarctae tectaeque ſervandae ſunt Leges, quemadmodum paucis hic vobis exhibeo.

§. I.

Explicandum initio eſt in quo verſari volumus, quodnam nimirum ſit noſtrum demonſtrationis tradendae conſilium: Cui equidem admodum prodeſſe poterit, ſi nullam vocem, locutionemve, quae obſcura, aut ambigua ſit indefinitam relinquamus, ſed determinatum ſenſum, ac praeciſam ſignificationem luculenter praeconſtituamus. Etenim ut praeclare monet ſummus Philoſophus, & Orator Tullius, (a) *omnis quae a ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet a definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit de quo diſputetur.* In definitionibus autem, ſive rerum ſint, ſive verborum, cavendum eſt ne alia caliginoſa, & ambigua ſufficiamus; id enim eſſet perinde, ac obſcurum, & aequivocum per aliud obſcurum, & aequivocum explicare. Huc ſane ſpectant, quae de nominum definiendorum utilitate ſuperius dicebamus.

§. II.

(a) Lib. I. *de Offic.* Cap. 1.

§. II.

PEractis rerum verborumque definitionibus axiomata ſubjiciantur, quae ad demonſtrationes conficiendas accomodata ſint, & perutilia. Quum enim omnis demonſtratio ex praemiſſis certis, atque evidentibus coaleſcat, ſi ex hiſce exiſtat aliqua, quae ſit ex ſuis terminis manifeſta, plurimum intereſſet eam ita collocare, & quidem praecipue ſi ad diſciplinam quam pertractamus peculiari quodam jure pertineat. Verum animadvertendum hic eſt, ejuſmodi axiomata nullimode eſſe uſurpanda niſi evidentiſſima ſint. Ut enim nonniſi falſum ex falſo, ita nonniſi ambiguum ex eo quod dubium eſt legitima illatione deducitur.

Neque vero axiomata ex evidentiae, quo gaudent, gradu deiici exiſtimandum eſt, ac ſua exui certitudine, quod fortaſſis a quibuſdam temere in dubium fuerint revocata: Etenim ut ſcite admodum commonefacit vir Clar. Artis cogitandi Auctor, (a) *de certitudine, ac claritate ſtatuendum non eſt ex hominum diſputationibus, & rixis; quippe de re omni lites, praeſertim verbales moveri poſſunt; ſed id demum clarum, & evidens habendum eſt, quod iis clarum, & evidens apparet, qui in rerum inveſtigatione cum ſummo ſtudio, & diligentia verſati ſunt, quique bona fide,*

(a) Par. IV. Cap. VI. pag. 275.

ſide, *&* *cordate dicturi erunt verbis*, *quod clam mente cogitarunt*. Tota itaque axiomatum certitudo ad hoc tutiſſimum principium conferenda tandem eſt; nimirum: *Quidquid continetur in alicujus idea clara*, *&* *diſtincta poteſt vere de illo affirmari*.

§. III.

Hiſce ſtudioſe ſervatis accurata perinde attentione conſulendum eſt, ne praedefinitas ſemel voces, locutioneſve in alium ſenſum a primo diverſum per incuriam uſurpemus. Periculoſum profecto vitium eſſet hujuſmodi, quo ii qui, aut nos audiunt, aut ſcripta noſtra legunt juxta praeconſtitutum ſenſum definita nomina intelligentes a mente noſtra prorſus aberrarent, nec quod volumus aſſequerentur. Quapropter vel praeconſtitutis definitionibus firmiſſime eſt inhaerendum, vel ſi eadem nomina in alium ſenſum quomodocumque varium diſparemque a praejacto adhibeantur, id diſerte monendum eſt; ne ſcilicet aequivocatio ulla inde oriatur, neve alii a mente noſtra declinent: Ex quo male contingeret, eos qui auſcultant ratiocinationis noſtrae vim, fore ut non ſentirent, adeoque illorum aſſenſus nullatenus evinceretur.

§. IV.

§. IV.

Si qua deinde, principii loco, aſſumenda ſit propoſitio, quae ad aliam diſciplinam facultatemve pertineat, conſentaneum erit poſt axiomata eam ſub ratione *hypotheſis* collocare; & ſi opus fuerit paucis etiam exponere; maxime autem ſi non ita facile mente comprehendi ab omnibus poſſit. Haud raro enim contingit, ut quae in una arte traduntur, aſſumi, tanquam omnino certa penitusque inconcuſſa principia, in altera debeant. Sic plura ab Arithmetica, & Geometrica, neque pauca ab Anatomia mutuatur Phyſica, eaque pro certiſſimis habet; licet neque manifeſta ex terminis illa ſint, neque in ipſa Phyſica oſtendantur.

Animadvertendum tamen eſt, ne quidpiam aſſumatur, niſi vel plane ad evidentiam in ea, ad quam pertinet, Diſciplina demonſtretur, vel periti omnes aut ferme omnes, vel ſapientiores ſaltem, eidem ſuffragentur; certum namque illud eſſe debet, quod in demonſtratione principii loco volumus uſurpare.

§. V.

§. V.

NOn minus certa eſſe debent experimenta; ſi quae fortaſſe ad demonſtrationem eruendam nobis praemittere opus ſit; ut ſi in explicanda ex. gr. caloris natura nonnulla, principiorum inſtar, debeant adhiberi; neceſſe proinde eſt, ut indubia omnino afferantur; cujuſmodi ea univerſa jure cenſentur, quae a viris hac in arte peritiſſimis inita fuere, quaeque communi omnium calculo recipiuntur. Id equidem, de quo periti omnes uno ore conſentiunt, jure nequit ab imperitis in controverſiam vocari, multoque minus veluti ſuſpectum, aut falſum repudiari.

§. VI.

HUc uſque enucleata ad quamlibet demonſtrationem praevia debent merito cenſeri, atque vocari; reliqua autem ipſam ſubjecti tractationem ſpectant. Quae equidem, ut per diſtinctas propoſitiones perficiatur (quemadmodum virum decet in docendo praeſtantem) ipſaemet propoſitiones inter ſe debent ita conferri, diſtribui, eoque ordine collocari, ut univerſaliores, minus ſimplices, atque notiores praecedant eas, quae minus univerſales ſunt, & magis compoſitae; eequae primo lo-

co

co ponantur, quae ad alias demonſtrandas aperire viam poſſunt, ac veluti principia aſſumi, Praeceptio ejuſmodi tanti momenti eſt, ut in ea potiſſimum Syntheſis ipſa conſiſtat: Perſpicue quippe cognoſcitur, quod diſtinctis propoſitionibus ſpectandum proponitur, ac difficillima quaeque non minus facile, quam nitide demonſtratur.

§. VII.

Quum unaquaeque propoſitio, ex qua aliquid colligendum inferemdumve eſt, vel ſimplicis intuitionis eſſe occurrat, vel ex aliis praemiſſis propoſitionibus per neceſſarium, atque evidentiſſimum conſequens fuerit educta; quocirca ſi aliqua ex illis non adeo perſpicua ſe ſe obiiciat, vel ope definitionum praemiſſarum, axiomatum conceſſorum, experimentorum, aliarumque propoſitionum; vel ex ſuis terminis non undequaque explorata, & patens, ut vel levi adhibita attentione nobis appareat indubia; tunc perſpicue ex aliis notioribus propoſitionibus explicanda eſt, atque extra omnem dubitationis ſtatum locanda.

Legis hujuſce omnimoda neceſſitas per ſe ſe liquet: nam ſi aliqua enunciatio ex iis, ex quibus aliquid inferre opus habemus, aut falſa ſit, aut dubia, jam demonſtratio prorſus corruat neceſſe eſt. Violari ergo nullo pacto

licet, quin omnis ratiocinationis vis prorſus obtundatur. Si qua vero clara, & evidens in illa demonſtrationis ſerie ſe ſe offerat, peccatum arbitror in ea demonſtranda operam noſtram curamque velle collocare; Quippe teſte Tullio, (a) *quae propoſitio in ſe quiddam continet perſpicuum, & quod conſtare inter omnes neceſſe eſt hanc velle approbare, & firmare nihil attinet*.

§. VIII.

Si pro demonſtranda aliqua propoſitione neceſſe ſit, aliam principii loco aſſumere, quae neque ad rem, in qua verſamur, pertineat, neque ex ſuis terminis pervia ſit, neque citari aliunde commode poſſit, demonſtrandae propoſitioni ea praemittatur. Hujuſcemodi propoſitiones *Lemmata* vulgo appellantur, de quibus non ſatis dici poteſt, niſi experientia ipſa docente, quantum ad demonſtrationes nitide conflandas ea ipſa prodeſſe comperiantur.

§. IX.

Cuilibet itaque propoſitioni, poſtquam oſtenſa plane fuerit ſua, conſectaria ſubiiciantur. *Conſectarium* enim, ſive *Corollarium* dicitur propoſitio, quae adeo aperte ex alia ſe-

qui-

(a) Lib. I. *de Inventione* Cap. 36.

quitur, ut peculiari demonſtratione non indigeat. Verum attente admodum inſpiciendum eſt, ne ullam illationem, ſeu Corollarium eruamus, quod non ſit neceſſario, ac immediato vinculo adnexum cum iis propoſitionibus, ex quibus illud colligitur: Etenim ſi propoſitio illata, & veluti per conſequens educta, cum eis ex quibus infertur neceſſario vinculo haudquaquam copuletur, ſuſpecta ſit, & dubia neceſſe eſt; quod certe nitidae demonſtrationi ex huc uſque recitatis adverſari conſpicitur. Ceterum ſi hujuſmodi minime deſideretur conditio, praecepti hujus utilitas ex eo vel maxime patet, quod hinc manifeſtum fiat, quomodo ex una veritate innumerae aliae veluti ſua ſponte fluant, ac deriventur.

§. X.

COrollariis demum Scholia ſubjiciantur, in quibus explicetur, ſi quid in ipſis propoſitionibus, & corollariis occurrat, quod vel eruditionem redoleat, vel ad uberiorem dicendorum intelligentiam prodeſſe aliquomodo poſſe videatur. Supervacaneum certe eſt dicere quantum ad res nitide pertractandas conferat ſcholiorum uſus; horum namque ope ea dubio procul vitatur confuſio, quae ex rebus inter ſe diſparibus, ſi abſque ullo loci diſcrimine exponantur neceſſario provenit.

§. XI.

Reliquas praetereo ſyntheſis leges quaſdam a nonnullis fuſiori calamo ſcriptis conſignatas, quod non ipſam Methodi intimam ſubſtantiam ſpectent, ſive conſtituant. Ceterum illae, quas hactenus ſancivimus non modo ſuapte natura neceſſariae ſunt ad demonſtrationem numeris omnibus abſolutiſſimam, verum hiſce unis totam ſyntheticae facultatis ſummam conſtare autumamus. Quonam enim pacto manca, dubia, fallax, obſcuraque illa eſſe poſſit ratiocinatio, in qua rerum, verborumque praeciſa, nitidaque adſit definitio, in qua ſua ſtatuantur axiomata, quae ſemel definita ſunt, firmiſſime ſerventur, neque in alium detorqueantur ſenſum; in qua etiam hypotheſes, experimenta (ſi opus ſit) Lemmata, ac Corollaria demum in ſubſidium advocentur; eo equidem ordine, ut univerſa inter ſe neceſſario vinculo, ac mira plane oeconomia connectantur?

Reliquum eſt igitur ut ſancitis Canonibus memoratis ad Syntheticam methodum pertinentibus religioſiſſime aeque, ac conſtantiſſime haereamus; nec dubito, quin ad exactam quamcumque demonſtrationem rite intexendam pares ſimus futuri.

SECTIO III.

De Studendi nec non diſputandi Methodis.

QUaecumque ad latentem veritatem, vel reperiundam, vel ſemel inventam auditoribus tradendam Methodorum ope a me hactenus dicta eſſe audiſtis, eo referri videbantur, ut unuſquiſque illud comparatum haberet, atque in promptu, ut ajunt, unde proprio ingenio, vel impervia, & obſcuris involuta latibulis quaeſtio aliqua per Analyſim detegeretur, vel per Syntheſim eadem parta in omnium aſpectu collocaretur. At vero quum aliorum ſtudio, & loquutionibus de re quacumque eruditi eſſe cupimus, ac verum inveſtigare optimorum librorum luce, ac manuductione conamur, eam, de qua modo paucis agemus ſtudendi methodum prae oculis perpetuo habere debemus, in eaque ſectanda eximiam operam collocare. Ac re equidem vera, nonniſi rectae methodi defectu factum arbitror, ut plerique, etſi ſtudio valde incumbuerint, ingenioque haud mediocri praediti fuerint, parum in rerum ſcientia huc uſque profecerint.

Nihil ergo homini ſtudiorum amatori, ſive honeſtius, ſive utilius aliquid eſſe debet, quam praeceptorum inſtitutionibus ſemetipſum in addiſcendo recte dirigere, ne cum infinita pene indoctorum multitudine eum perperam decipi forte contingat. Quod ſane diſcrimen dubio procul effugiet, ſi mox afferendis hac ſuper re canonibus firmiſſime inhaereat.

§. I.

POſtquam ergo conſtituimus cuinam ſcientiae incumbere debeamus, illi neutiquam danda eſt opera, niſi prius mens noſtra iis omnibus, ſi quas habemus, vulgaribus opinionibus, ſeu praejudiciis exuatur, quae vel ex deteriorum librorum lectione, vel ex uſu vivendi cum populo temere arripuimus. Hujuſmodi namque praejudicia, quum quod falſa plerumque ſint, tum quod a teneris annis hauſta nobiſque connata altius menti noſtrae radices fixerint, adverſantur quominus verae rerum acquirantur ideae. *Opinionibus vulgi*, *inquit* Tullius, (a) *rapimur in errorem*, *nec vera cernimus*.

Cui nam certe vel mediocriter cultioribus litteris inſtituto tutum illud videri debet, ſi nimirum quis inſano vulgi judicio ſe committat, ubi tanquam ab omnium errorum ſede eo magis in dies falſa, & ſpernenda pene abſque numero proficiſcuntur.

(a) Lib. II. *de Legibus* Cap. 17.

§. II.

PEculiari vero cura deligendus eſt peritiſſimus Auctor, in quo ſtudioſe verſemur; ille autem peritiſſimus nobis Auctor eſſe debet, qui ſcientiam illam, cui nos totos dedimus, a fundamentis aggreditur ac perpetua conſectariorum catena perſequitur: Ille praeterea legendus eſt Scriptor, qui juxta naturalem ordinem doctrinam explanandam in ſuas partes diſtribuit; quemadmodum qui cultiori recentiorum Phyſicae addiſcendae ſe ſe totos tradiderunt iis debent ſcriptoribus animum applicare, qui ut de Phyſica diſerte, ita de Arithmetica, & Geometria illius veluti partibus neceſſario requiſitis ſeorſim egerint. Explicari profecto vix poteſt quantum ad diſciplinas perfecte tenendas optimi id genus Auctoris lectio conferat: Quum enim Praeceptoris loco is nobis ſit, non minorem in Auctore cui operam demus, quam in Praeceptore, a quo inſtruamur, comparando egregio, curam, atque ſtudium impendamus oportet. Quare iſti ſaepe conſulendi hac ſuper re ſunt, eorumque ſtandum judicio.

§. III.

REjiciendae ſunt plurium librorum ſimul lectiones, ſed uni ita noſmetipſos dicare debemus, ut illum diurna nocturnaque manu verſemus. Ita ex vetuſtiſſimorum aeque ac ſummorum fide, & ſententia Plinius ſecundus (a) Et jure quidem; indicibile namque eſt quanta deliteſcant eximia, & pulcherrima in inſigni quopiam Auctore; quae tamen nonniſi in eodem ſaepe repetita lectione, ac quibuſdam mox referendis praeceptis adhibitis aſſequi licet. Ea eſt profecto mentis noſtrae anguſta indoles, ut non continuo, ac primo ut ajunt intuitu, univerſa perſpiciat: Quare mente, atque animo in id cumprimis patienti ſtudio inſiſtendum eſt, ut non ſolum clare percipiantur termini, qui ab Auctore adhibentur, verum etiam ut ſingulorum notio memoriae diſtincte commendetur. Ea eſt enim cujuſcumque artis, & ſcientiae natura, ut in ſuis explicandis demonſtrandiſque rebus peculiares quaſdam voces habeat; Quaelibet praeterea notio tùum in Moralibus, tum in Phyſicis innumeris circumſtantiis involuta jacet, ad cujus ſedem nemo ſane pertingere, nec in nitida ejus facie valet contemplari, niſi integram totius magni illius Orbis, ex quo inquiſita eadem veritas

(a) Lib. 7. Epiſt. 9.

ritas conſurgit, Geographiam quodammodo memoria probe teneat. Quod equidem ut quiſpiam obtineat neceſſe eſt, ut uberrima peculiarium vocabulorum, quibus ſcientia utitur congeries nitide ſibi prius innoteſcat; ne quum horum notio occurrat, aqua haerere cogatur.

Terminis clare perinde ac abunde perceptis, danda eſt opera, ut id mente quoque perſpicue, ac diſtincte complectamur, quod Auctor ipſe vel demonſtrandum aſſumit, vel oppugnandum aggreditur. Niſi enim ad evidentiam illud nobis conſtiterit, judicare numquam jure poterimus, an ea in diſquiſitione Auctor verum attingat, num vero ſuo ipſe judicio fallatur.

Perſpecto evidenter quaeſtionis ſtatu, ſeu totius Operis conſilio, ea momenta aequa rationis lance libranda ſunt, attentoque animo expendenda, quibus ſuam Auctor ſententiam demonſtrat; potiſſimum vero omnia meditari debemus principia, quibus demonſtratio quaevis innititur. Expedit profecto in hoc ſedulam navare operam eo quod perraro contra legitimae argumentationis formam delinqui ſoleat. Siquidem totum, ſi quod eſt, demonſtrationis vitium in ipſis latet principiis; videlicet ſi quid perverſi eſt, ex eo totum naſcitur, quod aliqua veluti plane certa aſſumantur, quae penitius inſpecta, ne infimum quidem probabilitatis gradum revera attingunt.

Quapropter cautum maxime nobis eſſe debet, ne ulterius legendo progrediamur, niſi quae praecedunt ſemel iterumque diſcuſſa prius attente fuerint, ac pleniſſime percepta. Quod ut obtineamus, cavendum eſt, ne librum in primis vel rapido curſu, vel oſcitanti lectione percurramus; qui enim non libros legere, ſed potius avide vorare videntur, ii nihil diſtinctum, nihil clarum, nihil digeſtum mente complectuntur; quibus vero ſtudiorum labor diſplicet, hi ita negligenter legunt, ut a rebus ante oculos poſitis eorum attentio ſaepiſſime avocetur, atque huc, & illac diſtrahatur, ex qua animi evagatione fit, ut nihil ipſi, ut fas eſt, certo teneant, ſive percipiant. Serio itaque perſuaſum nobis debet inſidere, in omni diſciplina recte pertractata, quum quae primo loco ſtatuuntur facem praebeant, ut poſteriora percipiantur, fieri nullatenus poſſe, ut ſequiora animum diſtincte ſubire queant, ſi nonniſi confuſe, atque obſcure quae praecedunt nobis innotuerint. Videant ergo, qui morae impatientes, totam plane doctrinam in libro traditam, animo ſe hauſiſſe putant, quoties ad voluminis calcem qualitercumque pervenerint. Hi certe ſunt, qui quum lapidem verberare ſe tandem conſpiciant, Auctorem nihilominus criminantur, quod nimis obſcure ſcripſerit, nec raro effutire audent praeterea, quod ne ipſe intellexerit quidem quae litteris tradi-

dit.

dit. Itaque ne vitio perperam Auctori vertatur, quod culpae noſtrae eſt, pedetentim lectione noſtra progrediamur, ſimulque animo tandiu in omnia inſiſtamus oportet, quouſque perſpecta nobis ſingula fuerint, & pleniſſime percepta. Quo facilius autem id aſſequamur perutile maximopere erit, ſi initio praeſertim ſtudiorum, lecta aliqua periodo paululum quieſcere nobis identidem placeat, ac noſmetipſos quaſi interrogare hoc fere modo: *Quiſnam Voluminis, ſeu Capitis, ſeu Articuli &c. ſcopus? De quanam re lecta periodus agit?*; *De hac, vel illa materia quid Auctor vel affirmat vel negat, & quod affirmare vel negare intelligitur qua ratione demonſtrat?* atque his ſimilia. Si per aliquot menſes ſervata ejuſmodi methodo legerimus, ſumma cum jucunditate experiemur, quanta & pene incredibili celeritate, & facilitate ad clare intelligendum diſtinguendumque quid in qualibet periodo tractetur, pervenerimus.

Cavendum quoque, ne quid quantumvis exigui momenti illud nobis videatur, praetermittamus: Nihil eſt enim, quod, licet in ſe ſpectatum, exigui plane ponderis appareat, plurimum tamen ad ſublimiora animo comprehendenda quandoque non conferat: Quocirca non eſt è manibus dimittendus optimus Auctor, niſi probe memoria teneatur, ſed potius centies eſt revolvendus, donec ipſum tandem totum poſſideamus. Fraequens ejuſmodi exercita-

citatio non ſolum intelligendi vim (quod potiſſimum in quocumque ſtudiorum genere cenſeri debet) ſed & memoriam ipſam augebit plurimum.

§. IV.

AT quonam pacto qui in quapiam ſcientia jejunus plane eſt, nec unquam illi ſtuduiſſe potuit, optimos de eadem tractatores diſcernere ſibique ſeligere valebit? Illud nimirum aſſequi poterit, ſi quas ſtudio cognitiones non adhuc bene ſibi perſpectas in iis Auctoribus hauſit, cum viris doctis, qui eidem ſcientiae accurate incubuerint, perſaepe conferat eorumque monitis obſequatur: Si vero vivens aliquis ſtudiorum peritiſſimus moderator conſuli nequeat, opportunum certe erit ſi Auctores praeſertim Recentiores adeamus, qui de eadem ſcientia ſcripſere, aut de optimis ſcriptoribus ſuum ferunt judicium; atque ita collatis inter ſe mutuo plurium ſententiis, quod in uno Auctore non ſatis perſpicue mente complectimur, ex pluribus evidentiſſime innoteſcat. Utrumque profecto pulcherrimum monitum, & recte ſtudiorum rationi accomodatiſſimum! Etenim vel ipſa experientia rerum praeceptrice erudimur (ut primum confirmetur aſſertum) non ſolum perfectius a nobis mente comprehendi animoque haerere altius, quae

cum

cum aliis conferuntur, verum etiam plura ad rem eandem ſpectantia plerumque detegi, quae hactenus a nemine excogitata fuere, ſtudioque reperta; quinimo plane falſa haud raro deprehendi non pauca, quae antea pro certiſſimis habebantur. *Ut enim Pictores*, ſic eleganti comparatione argumentatur Tullius (a) *& ii qui ſigna fabricantur, & veri etiam poetae ſuum quiſque opus a vulgo conſiderari vult, ut ſi quid reprehenſum ſit a pluribus, id corrigatur, hique & ſecum, & cum aliis, quid in eo peccatum ſit, exquirunt; ſic aliorum judicio permulta nobis & facienda, & non facienda, & mutanda, & corrigenda ſunt*. Admodum deinde prodeſſe reor (ut alterum monitum oſtendamus) mortuorum, ut ajunt, ſcriptorum libros ac ſententias inter ſe comparare; quod non eodem omnes ingenii acumine, eademque dicendi perſpicuitate fuerint donati; neque omnes in ipſa re explicanda, & demonſtranda eamdem viam methodumque ſequantur. Ex plurium itaque Auctorum facta collatione illud certe obtinebitur, ut penitius intelligatur magiſque liquidum fiat quid in toto doctrinae Syſtemate approbandum jure a nobis ſit, quidque reprobandum.

§. V.

(a) Lib. I. de Offic. num. 51.

§. V.

UT altius memoria defigatur quidquid, juxta hucuſque commemoratos canones, in libro didicimus, utile quammaxime erit omnia in tabulas referre, ſeduloque ſcriptis conſignare; ac quum primoribus, ut vulgo dicitur, labris ſtudia deguſtaverimus, inſtituto cujuſque articuli examine, ſervari praeſertim debet utiliſſimus hic ſcribendi modus. Enimvero neminem ſane fugit, quum rerum earumdem ſaepe repetitur lectio, quas ſtudio invenimus ipſi, facili negotio conſtare, ſi quid in illis obſcurum involutumque contingat; apertum fieri ſi quid falſi incaute irrepſerit; ſimulque plura caeteroqui praeſtantiſſima, maximeque utilia (quae tamen nemini ne quidem in ipſa ſomniorum vi occurriſſent) perſaepe nobis in mentem cum indicibili voluptate venire. *Ego ipſe multa quae neſciebam*, inquit Sanctus Auguſtinus, (a) *ſcribendo me didiciſſe confiteor*. Accedit, miram hinc facilitatem cogitationes noſtras non perſpicue ſolum, verum etiam ornate polite copioſeque exprimendi, ſenſim in nos derivari; haec namque non aſſiduo meditandi labore, atque ſtudio, ſed longa ſcribendi exercitatione uſuque dicendi obtinetur, & obtenta perficitur.

§. VI.

(a) *In Prolog.* Lib. II. *de Trinit.*

§. VI.

INter eos autem qui lectioni, ſcriptionique dant operam nonnullos exiſtere non ignoro, credulos nimirum & Critices ſcientia admodum deſtitutos; quos ita Auctorum, quos prae manibus habent, opinionibus ſe ſe mancipari non pudet, ut quidquid in libris elucet tanquam verum, & inconcuſſum admittant, ac complectantur; alios ex adverſo libris tantum incumbere, ut omnia, quae ſuis opinionibus oppoſita conſpiciunt, oppugnent, atque rejiciant. Utumque hoc hominum genus valde improbandum; eo quia priores ſingulis erroribus viam aperiant, ſecundi veritatis expoſitioni maxime officiant. Medium itaque prudens inter utrumque ſervandum eſt; ita nempe revolvendi ſunt libri, ut non illico cuilibet opinioni aſſenſum praebeamus, nec illi tanquam falſae pertinaciter obſiſtamus, ſed attento animo juxta traditas Logices praeceptiones noſtras; ſuppoſita, & dubia a demonſtratis, & certis; utilia a noxiis, ſuperflua a neceſſariis, clara ab obſcuris ſcite ſecernamus.

§. VII.

§. VII.

EXtrema demum praeceptione cautos vos cupio; ne ſcilicet contrariae ſectae, factioniſque Auctores adeatis, niſi prius integrum illius, in quod ſtudium curamque impenditis vobis perfecte cognitum fuerit Syſtema, nitideque perſpecta tum momenta quibus innititur, tum principia, quae Auctor ipſe tanquam indubitata uſurpare ſolet. Etenim, ſi ſecus fiat, tanta in nobis ex ipſa diſcrepantium inter ſe Auctorum lectione orietur confuſio, ut ne ipſi quidem ſimus amplius perſpecturi quanam in re tuto verſari debeamus; tamque obſcurum involutumque id nobis fiet, de quo inter Auctores ipſos non convenit, ut plane nos lateat quid quiſque ſentiat. Momenta itaque omnia utrimque ab adverſae ſententiae Patronis allata nobis ſunt aequa lance libranda: Cum primis vero attendendum nobis eſt, ut in librorum lectione, opinionumque delectu ſtudioſe rejiciatur non ſolum praeoccupatus in aliquem Tractatorem affectus, ſed etiam pari, imo & majori cura vitetur quilibet nimius affectuum tumultus; quaſi vero dicendi vis, & argumentandi robur, ſive ab Auctoris celebritate, ſive a bene, vel male affecta opinione noſtra totum pendeat.

Satis

Satis itaque de recta ſtudiorum ratione me dixiſſe confido. Quae ſi perpetuo nobiſmetipſis inter legendum ſectanda conſtituerimus, non dubito, quin incredibile commodum litteris noſtris ſint comparatura. Reliqua deinde tractanda ipſam, ut initio monueramus, diſputandi methodum ſpectare debent.

§. VIII.

HActenus de recta Studiorum ratione, quam juxta commemorata praecepta ſedulo obeundam eſſe ſancivimus, atque docuimus: Supereſt ergo, ut de diſputandi methodo nonnihil differamus, de qua, ut a paucis hac ſuper arte Scriptoribus actum fuiſſe vidimus, ſic de illa perinde tanquam ſummopere neceſſaria conſentaneum erat ut loqueremur. Enimvero utilitas diſputationis, ſive privata ea ſit, ſive publica, mira prorſus eſt ac plane eximia: Quae namque intra privatae meditationis occulta adyta, intra ſegregati cubiculi parietes, inter ſcriptiones ac varia de omnigena re volumina a nobis accurato ſtudio fuerant comparata efficiunt, ut languore poſtmodum mentis depulſo diſceptationum opera in meliorem ſapientiae gradum excitemur mira prorſus ratione, atque erigamur. Etenim diſputatio ut vir Clar. (a) diſerte teſtatur, *promptam cum ad cogitandum,* *tum*

(a) *Petrus de Croſa* Part. IV. *Logicae* Cap. 10.

tum ad eloquendum facultatem conciliat; acuit ingenium, & judicium in veri a falſo diſcrimine roborat, dum talibus in exercitiis objecta ab omni parte verſantur, occaſioneſque praebentur eorum excogitandorum quae alias in mentem forte nunquam veniſſent. Quae ſane uberrima in nos commoda quemadmodum ſi iis legitime utamur, fructus afferunt ampliſſimos, ita eadem majorem perniciem afferre non poſſe abſque temeritate affirmandum eſt, ſi iis forte abutamur. Neminem quippe latere exiſtimo, quemadmodum experientia magiſtra univerſi rite animadvertentes erudiuntur; eos nimirum, quos modeſtae diſceptationis fines tranſilire non pudet ſenſim ſine ſenſu in impudentem quandam audaciam, ſuperbos, garrulos, ac pertinaci contradicendi ſtudio intolerabiles ferri; a qua deinde nulla inſtitutionis vi, nulloque ſtudio valent detorqueri: Hosce enim videas (ac multo frequentius retroactis ſaeculis, eos praeſertim qui cultioribus litteris dare operam falſo gloriabantur, bucciſque ut ajunt crepantibus jactabant, moleſte intueri & experiri fas erat) aemulationes, impudentiae, irae nonnunquam, caeteriſque paſſionum ſtimulis adeo correptos, ut a ſedato ſtatu, qui ad veritatem contemplandam adeo neceſſarius eſt ſepius avocentur, & in denſiſſimam mentis obſcuritatem aeſtuantes labantur. Fraequentibus id genus exercitationibus addatis velim, mentem humanam paulatim ad in-

ſtabi-

ſtabilem, eandemque perpetuam dubitandi, nec non ad pravam quandam fluctuantis animi rationem ita comparari, ut veritatis inveſtigatores pauci, oppugnatores vero plurimi reperiantur; ac plures exiſtant, qui ne quidem donec ſententiam abſolveris expectent, ut ad eam impugnandam continuo argumenta conquirant; unde in difficultates perpetuo cudendas duntaxat converſi, lucem contemplari demum dediſcant. Ne in damnum itaque nobis vertatur, quod ad profectum inſtitutum eſt, optimae Diſputationis expediendae Canones hoc loco paucis conſtituamus oportet.

§. IX.

ANtequam diſputationem adgrediamur id breviter nitideque exponendum eſt in quo volumus diſceptando verſari. Ubi primo quae de methodo Logico-Synthetica dicta ſunt recolere neceſſe eſt §. I. deinde animadvertenda ſunt quae ex Quintiliano (a) appoſite hic afferri poſſunt: Etenim, ut egregie ille advertit; *Non prius contingere curſus poteſt, quam ſciverimus, quo ſit, & qua perveniendum*. Hinc quammaxime curemus opportet, ut in explicando quaeſtionis ſtatu quemadmodum monet perbelle Tullius (b) *verbis utamur quamuſitatiſſi-*

 tiſſi-

(a) Lib. X. *Inſtitut. Orator.* Cap. 33.
(b) Lib. IV. *de finibus* Cap. 20.

tiſſimis, & *quammaxime aptis*, *ideſt rem declarantibus*.

§. X.

AB inutilibus digreſſionibus abſtinere magna cautione debemus. Illae namque quum mentem a quaeſtionis ſcopo abducant, in infinitum abibit diſceptatio, quin id determinari unquam poſſit, quod in ipſa Diſputatione, ut definiretur, aſſumptum fuerat diſcutiendum.

§. XI.

CAvendum nobis accurate eſt, ne quum de re conſtat, de nomine laboremus. Quippe ut optime more ſuo admonet S. Auguſtinus (a) *turpe eſt diſputantibus in verbi quaeſtione immorari*, *quum certamen nullum de rebus remanſerit*. Pervicaciae namque luculentum eſt indicium, atque animi adverſus veritatem inique affecti, quum de re conſtet, propter quam verba humanis inventis ſunt inſtituta, de iiſdem vocabulis velle contendere. *Quiſquis id faciat*, ut alibi idem docet Auguſtinus (b) *ſi imperitia faciat*, *docendum eſſe*; *ſi malitia*, *deſerendum*. *Si doceri non poteſt*, *monendum*, *ut aliquid aliud potius agat*, *quam tempus in ſuperfluis operamque conſumat*; *ſi non obtemperet*, *negligendum*.

(a) Lib. II. *contra Academic.* num. 25. *alias* Cap. 11.
(b) Lib. III. *contra Academ.* num. 29. *alias* Cap. 13.

§. XII.

DIſputantes eſſe decet in colloquio mites, in audiendo quietos, in docendo officioſos, in reſpondendo blandos. Sicuti namque ad excitandos inordinatos animi motus, nihil aptius eſt, quam immodeſti clamores, ita nihil magis impedit, quominus veritas in diſceptatione detegatur. *In collatione itaque diſputationis hoc cavendum eſt*, inquit S. Auguſtinus, (a) *ne prorumpatur in litem*. Utque ſapienter olim monebat Antiſthenes (b), *contradicentem docere oportet, non contradicendo compeſcere. Nam neque inſano, ſi viciſſim inſaniat, aliquis medebitur*.

§. XIII.

DEfendens perhonorifice ſemper opponentem excipiat, ejuſque argumenta fideliter repetat; & quidem, quoad poteſt ab eo fieri, iiſdem verbis, quibus ea ille confecerat. Id enim candidi animi indicium eſt; neque raro ab onere iterum conficiendi argumentum tunc opponens diſpenſatur. Perſaepe namque accidit, ut argumenti verba mutare defendens non poſſit, aliamque formam illi tribuere, quin

(a) Lib. IV. *contra Creſconium* num. 3. *alias* Cap. 3.
(b) *Apud Stobeum* Serm. LXXXII.

quin aut illius vim roburque minuat, aut ſenſum perturbet.

§. XIV.

CAveat defendens, ne quid veluti certum, aut ſibi conceſſum, adverſarius aſſumat, quod neque vere datum illi fuerit, neque jure poſſit pro certo haberi. Licitum quippe defendenti non eſt, vocare in dubium, multoque minus negare, quod ſemel, etiam incaute opponenti conceſſit.

Verum praeceptio iſta, tametſi juxta receptam ſcholaſticorum conſuetudinem inviolabilem habere vim comperiatur, ipſam non tamen video ſatis inveniendae detegendaeque veritati accomodatam. Enimvero quum potior ille ſcopus inter diſceptantes eſſe debeat, ut nimirum veri amore ad diſputandum permoveantur, aegre proinde ferre non debet opponens, ut quae defendens incaute conceſſit, maturius ſaniuſque retractet. Quamobrem praeclare S. Auguſtinus (a) quaerens, *liceat ne, quae temere conceſſa ſunt, rurſum redire? Hoc*, reſpondet, *non ſolent concedere illi, quos ad diſputandum non inveniendi veri cupiditas, ſed ingenii pueriliis jactantia impellit. Itaque apud me, praeſertim quum adhuc nutriendi educandique ſitis, non ſolum conceditur, ſed etiam in praeceptis habeatis volo, ad ea vos diſcu-*

(a) Lib. I. *contra Academicos* num. 8. *alias* Cap. 3.

diſcutienda redire oportere, quae conceſſeritis incautius.

§. XV.

ANimum quoque ad vocabula loquutioneſque omnes, quae ſ ab opponente adhibentur, attendat defendens, eique nihil permittat, quod ſibi vel obſcurum ſit, vel ambiguum videatur. Si quae proinde hujuſcemodi occurrerint modeſte poſtulet ut explicentur: Concipi enim vix ac ne vix quidem poteſt, quot lites, quot diſſidia, ſola unius etiam termini definitione plerumque dirimantur.

§. XVI.

NIhil veluti certum aſſumendum ab opponente eſt, quod a defendente negari jure poſſit, vel in dubium vocari. Obmuteſcere quippe cogetur opponens, ſi hujuſcemodi principium ei minime a defendente permittatur. Neque enim illud oſtendere poterit, quin turpiter *medium terminum*, ut ajunt, immutare cogatur: Quod ſane illud eſt, quod extrema hujuſce Methodi praeceptione cavendum fore docemus.

§. XVII.

§. XVII.

AB hac itaque *medii* mutatione quammaxime abhorreat impugnans. Mutare quippe *medium* nequit opponens, quin propriae famae magnopere detrahat. Hinc enim jure infertur, aut *medium*, quod primo fuerat aſſumptum, ipſiuſmet etiam opponentis judicio, nullius eſſe roboris, atque adeo minime dignum, ut a Viro docto aſſumeretur; aut nonniſi leviter verſatum ipſum in ea re fore, de qua diſceptatur; aut demum leges optimae argumentationis ab eo penitus ignorari; quas tamen proinde ſui muneris erat haudquaquam neſcire.

En itaque vobis, Studioſiſſimi Juvenes, tum quae ad diſputandi Methodi coronidem in medium afferri utiliori oratione accurate debere viſa ſunt (ne & hanc proficuam Logices partem negligere videremur); tum quae ad veſtram emendandam regendamque mentem conferre poſſe, non propria ſolum meditatione, optimi cujuſpiam delectu atque doctiſſimorum Scriptorum conſultatione exiſtimavi, tandem aliquando in veſtrum commodum, ac tutiſſimum profectum ſollicita opera & ſtudio derivarim.

Reliquum eſt ergo, ut univerſis dialecticarum rerum animadverſionibus, Legibus, atque

que eruditionibus finem imponam: Satis enim me dixiſſe, ac fortaſſe pluſquam ſatis, experimento ipſo detexi; inſpecta praeſertim temporis anguſtia, in qua juxta Lycei hujus praeſcriptam ad diſciplinas philoſophicas tradendas annorum conſuetudinem, univerſa de iiſdem rebus coarctari neceſſe fuerat. Quapropter gratulari poſſe jure mihi videor, a me nimirum (tametſi longior nonnullis videri poſſim) nihil, quod Vobis perutile, aut etiam quoquomodo neceſſarium rebar, fuiſſe praetermiſſum.

F I N I S.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. XXXXIV. v. 21. *illo*	*illi*
Pag. LI. v. 11. *paterna*	*paternae*
Pag. 4. v. 29. totum	totam
Pag. 41. v. 21. ſcrutarit	ſcrutari
Pag. 60. v. 7. confuſio neceſſario debet oriri.	confuſionem neceſſario debent haurire.
Pag. 103. v. 2. pateant	pateat
Pag. 104. v. 19. vera	certa
Pag. 111. v. 5. homine	homini
Pag. 116. v. 5. appellationem	appellatione
Pag. 136. v. 8. rovocemus	revocemus
Pag. 137. v. 4. geſtu	guſtu
Pag. 139. v. 12. halucinari	hallucinari
Pag. 141. v. 23. quibus ad ſerium	quibus ſerium
Pag. 178. v. 27. reſpoderet	reſponderet
Pag. 179. v. 1. fere	fore
Pag. 180. v. 12. derivant	derivantur
Pag. 181. v. 17. *dicenda*	*diſcenda*
Pag. 183. v. 2. loquutur	loquuntur
Pag. 191. v. 10. invidia, quaedam	invida quaedam
Pag. 197. v. 19. inconſulta	inconſulto
Pag. 200. v. 6. quum	quam
Pag. 203. v. 12. quamvis &	quamvis ex
Ibid. v. 21. ſubiiciamus	ſubjiciemus
Pag. 208. v. 10. effectionibus	affectionibus
Pag. 224. v. 7. *Aviceenam*	*Avicennam*
Pag. 232. v. 27. canditioreſque	candidioreſque
Pag. 233. v. 24. conſueverunt	conſueſcunt
Pag. 234. v. 22. progrediamus	progrediamur
Pag. 237. v. 4. peſpectas	perſpectas
Pag. 242. v. 19. Pophana	Prophana
Pag. 244. v. 10. comuni	communi
Pag. 250. v. 22. ſuperuis	ſuperius
Pag. 272. v. 23. aemulationes	aemulationis

5.9.43

5.9.43

Digitized by Google

Digitized by Google

005654741

Digitized by Google

vB